

Johann Adam Schertzer Nicolaus Brand


Exercitatio Theologica Ad Oraculum De Messia Psal. LXIX. 5. Quae non rapui, solvam

Lipsiae: Hahn, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791026728>

Druck Freier  Zugang






35

Fa-1092 (35.)

2
3.
4.
7.
6.
30
7.
2
8.
2
11.
122
13.
17.
16



XI.
עמי עשו

EXERCITATIO THEOLOGICA

AD

ORACULUM
DE MESSIA

Psal. LXIX. 5.

Qvænon rapui, sol-
vam

SUB PRÆSIDIO

JOH. AD. SCHERZERI,

SS. Th. D. & Prof. Primarii,

RESPONDENTE

NICOLAO BRAND,

Sunderburgo-Holfato,

Kal. Octob. cId Idc LXXII.

in Auditorio Paulino horis antemeridianis
instituta.

LIPSIÆ,

Excudebat JOHANNES ERICUS HAHN.

30.

3

3

30

EXAMINATIO THEOLOGICA

ORACULUM

DE MESSIA

Quarismodiani. Ioh.

IOH. AD. SCHEERZERI

ss. Th. D. & Prof. Primarii


NICOLAUS BRAND

Sancti Iago-Hofano
K.M. Off. ab de LXXX

in Auctoris Pulpito hunc antecessit
millibus

L.P.S.I.E.

Leipzig: JOHANNES ERICUS HAHN



עמי עמי

PRÆLOQVIUM.

3

3



O potissimum tempore, quò & occupationes aliæ, & functiones extraordinariæ animum in mille partes rapiabant diversum, nostrâ sibi operâ utendum esse existimavit eruditissimus DN. RESPONDENS omnium bonorum favore ex merito suo dignissimus. Nolimus tamen, officii memores, honesta abiturientis desideria frustrari: sed eâ omninò, quod in limine statim monemus, lege ac ratione, ut nemo eruditorum hâc vice accuratorem expectet. Si enim ullum, certè Sacrarum rerum studium TEMPORE cumprimis animiq; contentione indegit, juxtâ illud: *σοφία γραμματέως EN ΕΥΚΑΙΡΙΑ ΣΧΟΛΗΣ*: καὶ ὁ ἐλατὴρ μὲν πρὸ αὐτῆ, ἔσσοφιδήσεται, i. e. *Sapientia SCRIBÆ in oportunitate otii comparatur: Et cui exiguum suppetit operandi spacium, non evadit sapiens. Eccles. XXXIIX. 24.* Coacti igitur quodammodo fuimus, minus coacta, & ea solummodo, quæ lectionis memoria suggerere potuit, impræsentiarum depromere, probè aliâ gnari, quæ, quales, quantum, in hâc Oraculi Divini particulâ thesauri sint absconditi. Secundas autem curas libentes promittimus, si vitam, gratiam, otiumq; indulserit DOMINUS, in cujus solius gloriam Textûs nostri ἐξεργασίαν, absq;ve circuitu, breviter strictimq;ve exordimur. Sit ergò

A 2

§. I. Par.

אשר



Articula אשר utriusq; generis ac numeri (à LXX. *Vulg. Tigurinis* propterea *πληθυντικῶς*, à B. *Luth. Jun. Tremell.* ceteris, *singulariter* expressa) varias significaciones admittit. R. D. Kimchi in libro

- A. Radicum (A) annotat *sensum*, qui & communissimus, & præsentis loci est, *relativum*, uti Gen. II. 20. 23. III. 1. 3. II. & c. (B) Alternat cum **אם** SI, estq;ve *conditionale*. Levit. IV. 22. אשר SI Princeps peccaverit & c. Deut. XI. 27. *Benedictionem* אשר SI *auscultabitis præceptis* Jehova. 2. Paral. XIX. 24. אשר לפני חורר sensum *relativum*, non *conditionalem* habet. Et Hab. III. 16. אשר אנוח Si *quiescerem* Föstero, rectius ad *optativas* particulas referetur. Vide Lit. F. (C) Proponitur Deut. IV. 40. אשר יוטב UT *benè tibi sit*. Conf. D. Deut. VI. 3. Ruth. III. 1. (D) Est PROPTEREA, uti i. Reg. XV. 13. אשר עשתו pro שעשתו *propterea quòd fecerat statuam* (E) Alternat cum Vav Ecclef. V. 17. (Kimchio vitiosè 'ר est) אשר יפרא pro יפרא *bonum ac pulchrum*. Hof. XII. 9. אשר הטמא pro וחתמא *iniquitas ac peccatum*. Quamquam alii *relativè* sumant, sensu nec quicquam variante. Vide omninò *Magni nostri Geieri* שליטאנא Comm. ad hunc Ecclef. locum. Hucusq; Kimchius in Libro Rad. progressus erat. Sumitur F. verò prætereà (F) *optativè* Hab. III. 15. אשר אנוח UT IN A M *quiescerem in die angustia*, quò sensu etiam D. *Lutherus* transtulit, cum quò conf. *Belgas* ad Hof. XIV. 4. Kimchius per quòd vel *quia*, G. invitò textu, exponit. (G) *Afferentis* particula naturam induit i. Sam. XV. 20. אשר שמעתי כן imò *auscultavi voci Jehovæ*. Vide ad h. l. Kimchium, & compilatorem ejus R. Sal. B. Melech in *Michl. Joph. fol. 63. c.* (H) Significat QVOD Ecclef. I. IX. 1. אשר quòd *justi sunt in manu Dei*. (I) QVIA Ecclef. IIX. II. אשר *quia non mandatur executioni decretum subitò*. (K) QVAMVIS Ecclef. I. c. v. 12. אשר *quamvis peccans centies faciat malum*. Errat proinde R. Schlomo in *Obel Moëd fol. 8.* hæc tria אם כי ו' tantum אשר Synonyma faciens.

ל

ל Semper (exceptis XXXV. Scripturæ locis, ubi לון plenum

num est, & ubi **N** abjecto, לר scribitur, quod notante *Masora* quin-
decies Exod. XXI. 8. Levit. XI. 21. XXV. 30. 1. Sam. II. 3. 2. Sam.
 XVI. 18. 2. Reg. IIX. 10. Esai. IX. 3. LXIII. 9. Psal. C. 3. CXXXIX.
 16. Job. XIII. 15. XLI. 4. Proverb. XXVI. 2. XIX. 7. Efr. IV. 2. con-
 tingit) *defectivè* scriptum, juxtâ Ohel Moëd fol. 44. seqq. *sex*
 (אפס און אלהי בלי בלתי אי & אי, quod ultimum tamen ab און non
 nisi Apocopa differt,) Synonyma agnoscit. Nos plenius rem-
 enarrabimus. Est ergo (A) Adverbium *negandi*, qvi sensus etiam A.
 præsentis loci est, & sese protendit ad *sequentia negativè*; (Summu-
 listæ ajunt: *negatio est malignantis natura, destruens, quæ post se in-*
venit; sicuti און ad *sequentia* sese extendit *affirmativè*. Vide Ge-
 nef. II. 5. 18. 25. III. 1. 3. &c. (B) Cum nomine constructum parti-
 culæ *exclusivæ* naturam induit. 2. Sam. XXIII. 4. Sol exoritur און
 absqve nubibus. Exod. III. 19. *non dimittet Vos Rex Ægypti, און nisi*
manu validâ. Sensum aliorum negativum: *ne manu validâ quidem*,
 minus probamus. (C) Vocula *infinitans* est Jer. V. 7. juraverunt און
 אלהים און in *non-Deo*, in negativam tamen (ut omne non
 infinitans) resolubilis. Conf. Gal. IV. 8. Ut nil causæ subsit, cur
 Theologis *Logici* h. l. litem moveant. (D) און *interrogativè* pro D.
 און nonnè ponitur Exod. IIX. 26. *Si sacrificarem abominationem*
Ægyptiorum, און (pro און) nonnè lapidarent nos? Ezech. XXXII.
 28. און nonnè *jacebunt, qui ceciderunt ex præputiatis?* Thren. I. 12.
nihilnè ad vos transeuntes? respicite & videte. Job. III. 25. און nonnè
felix, און nonnè tranquillus, און nonnè quietus eram? & tamen venit
inquietudo. Quorsum etiam vexatum locum Exod. VI. 2. *in no-*
mine meo Jehovâ און nonnè cognitus sum illis? cum B. Dn. Danhau.
Hermeneut. Sacr. fol. 210. aliisque referunt. Nec tamen si *interroga-*
tivum non sit, ad *ignoratam* in V. Test. *Trinitatem* cum Novatori-
 bus quis ritè collegerit. Concedent enim ad minimum Patriar-
 chis (de quibus hic locus agit) illam notitiam. Est verò nobis
 alia in promptu responsio, quâ inter nudam Nominis *περαγαμ-*
ματς (Patriarchis sanè non ignoti Gen. XV. 7. XXII. 13. &c.)
notitiam, & promissionum complementum, quod suis deduxere locis
 Theologi, distingvamus. Nec tamen ea distinctio Photiniana,
 ac si און *essentiam divinam independentem non innueret*, (quod
 si quis ambigat fortè, in conflictu ostendere parati sumus,) patro-
 cinatur,

E. cinatur. (E) Quemadmodum *negativa* nominibus præmissum ν
nonnunquam eleganter substituitur, apud Glassium P. S. L IV. Tr.
I. observat. IV. fol. 655. seqq. videre est.

§. III.

- גזלתו Tò גזלתו Targum per גזלתו capere, Græca versio h.l. per ἀραγή, aliàs per ἀναραγή, διαραγή, ἀφαγή, ἀποβλάξω, &
ἀποβλάξω violentiæ vocabula expressit. Et sanè גזלתו violentam
direptionem, justam injustam, quanquam hanc sapius solamqve
h. l. denotat: cui Obel Moëd גזלתו עשן אונאה &
A. א. קבע fol. 15. seq. ἰσοδύναμα facit. Usurpatur in Sacris (A) de rebus
corporalibus, ut direptione domus Job. XX. 19. filiarum Gen. XXXI.
31. lanceæ è manu 2. Sam. XXIII. 21. i. Paral. XI. 23. pupulli ab ubere
matris Job. XXIV. 9. agrorum Mich. II. 2. putei Gen. XXI. 25. gre-
gis Job. XXIV. 2. asini Devt. XXIX. 31. mulierum Jud. XXI. 23.
cutis sive facultatum Mich. III. 2. aquarum nivalium Job. XXIV. 19.
B. (B) De rebus incorporalibus, raptu videl. juris ac justitiæ Esai. X. 2.
Eccles. V. 7. Somni Proverb. IV. 16. ubi, juxtâ B. Dorfch Pentadec.
Disp. VI. fol. 228. raptus divinus judicialis adeoq; sanctissimus, qvò ni-
mirum divina nemesis nebulonibus somnū extorquet, ut tametsi velint,
dormire tamen ob inquietudinem non possint. Vide tamen Magn. Dn.
Geieri Comm. b.l. fol. 196. Videmus itaq; utrobiq; hòc verbò violent-
tam extorsionem ac raptum significari. Unde Aquilâ ὅσα δὲκ ἐβίασθη
ἐμν transtulit. Cæterum h.l. raptus injustus (qvod ex oppositâ resti-
tutione patet) intelligitur, & peccata humani generis adæqvate,
& imprimis horum omnium fons ac scaturigo raptus Deiformitatis
ac majestatis Divinæ, à Protoplastis commissus, cum Diaboli
fvsu כאלהותו similes Deo Gen. III. 5. esse voluerunt, significa-
tur, qvod postea ostendemus.

§. IV.

וְאִין] Particula (Psal. CXXIV. 1. 3. 4. 5. Paragogicè וְאִין occur-
rens הוּא הַחַד נוספת וְאִין חסמו אִין inquit cum Kimchiò suò
Autor Michl. foph. fol. 187. b.) non solùm temporis est Gen. XXXIX.
5. Jerem. XLIV. 18. &c. sed & Futurum nonnunquam, instar Vav
conversivi, in Præteritum mutat. Unde Aben Esra: משפט לשון
הקורש לאמר לשון עתיד תחת עבר עם מלת
Solet, inquit, lingva sancta futurum pro Præteritò cum particula וְאִין ponere,
וככה וְאִין בלשון ישמעאל quod etiam apud Arabes obtinet, Comment. ad
Exod.

Exod. XV. 1. ubi dicitur : **אִן יִשִׁיר** tunc canet, i. e. cecinit Moses. Conf. Jos. X. 12. 2. Reg. XII. 18. XVI. 5. & ceteros Commentatores. Cave verò AbenEsra verba ita intelligas, ac si **אִן** Futuro, in significatione futuri permanenti, jungi nequeat (vid. Pl. II. 5.) sed quòd id nonnunquam fiat. Ubi tamen Kimchius observat, cum futurum ei additum pro praterito sumitur, propriè imperfectum esse: sicuti Psalm. CXXIV. 3. 4. 5. Prateritum (quod aliàs omnes prateriti species complectitur) post **אִן** per plusquamperfectum reddendum, est. Cæterum cur illud Gen. IV. ult. **אִן דִּוְרָה** tunc ceptum, est invocari nomen Domini, hùc in Lexicò suò retulerit Försterus, non video. **אִן דִּוְרָה** fanè non Futurum, sed Prateritum est. Sed nec locus Psal. II. 5. hùc pertinet. Futurum enim **יִדְבַּר** nequaquam in Prateritum particulà **אִן** conversum est. Ad quem verò censum in præsentì, quem præ manibus habemus, textu sit referenda, quæritur. Interpretes per omnia fermè tempora eunt. Pagninus enim: tunc reddidi; Pellicanus: rependi; Vatabl. Arct. Felinus: rependere coegerunt; quidam: tunc reddam; Hieronymus, Arias, Cajetanus: tunc reddebam; Tertullianus, Gall. Rom. Vulg. exolvebam; Hilarius: exolvere repetebam; quidam, Junius, Tremellius cum B. Luthero; rependere cogor; Castalio: tamen reddam, immeritò dem pœnas, transfulère. Sanè uti meritum Christi omnium temporum est: ita etiam illud, quod non rapuit, ab origine mundi (Apocal. XIII. 8.) restituit. Verùm cum h. l. sit futuræ passionis & exinanitionis prædictio, præstat sequens verbum, **אִשִׁיר** in futuri significatione relinquere, & particula **אִן** non, pro conversivà, sed temporis tantùm notà habere. Interim cum in fundamento sensûs nulla sit pugna, nemini temerè litem movebimus. Ubi illud prætereundum non est, suspicari B. Dorschaum, Chaldaum pro particulà **אִן** legisse **אִן** vel **אִן** signum, quòd reddiderit **עַל סְדוּרֹתֶיךָ** in signum seu testimonium vestrum. Pentadecad. fol. 254.

§. V.

אִשִׁיר] A **שׁוּב** reverti, redire in Hiphil, cujus Futurum h. l. occurrit, idem est ac redire fecit, i. e. reddidit, restituit, quod variis rebus applicatur. Nam (A) restitutionem in locum suum Genes. A. XIV. 16. (B) respondere sive reddere alicujus rei rationem Job. B. XXXI:

C. XXXI. 14. XXXIII. 5. Num. XXII. 8. 2. Sam. XXIV. 13. (C) Cum
 קָנָה vel קָרָן constructum, est *placare, sedare, restituere* quasi *pristi-*
no affectui ac favori Psalm. LXXXV. 4. Num. XXV. 10. Proverb.
 D. XXIX. 8. (D) Genuina significatio (etiam h.l.) est, *retribuere,*
luere, reddere, rependere, solvere, satisfacere. Arguo in genere:
 „ *Quoties הַשִּׁיב rapina ac delicto opponitur, toties aut satisfactionis*
impositionem, pœnæq; divinò judicio irrogat ælutionem, aut realem,
 „ *ejus, quod satisfactionis pro debito delictorè præstande omnimodam,*
 „ *vim habet, præstationem significat.* Provoco ad inductionem &
 considerationem locorum Gen. L. 15. Exod. XXII. 26. Levit VI. 4.
 XXV. 51. 53. Num. V. 7. XII. 9. Deut. XXIV. 13. 1. Sam. VI. 3. 4.
 8. 17. 1. Paral. VI. 23. Proverb. XVII. 13. Ezech. XII. 7. 12. XXXIII.
 15. LXX. plerumq; reddunt per ἀποδίδωμι, (vide omninò Gen.
 XX. 7. 14. XXXVII. 21. XLII. 25. 28. Lev. VI. 4. XXV. 28. 51. seq.)
 ἀποδίδωμι (Ezech. XXVII. 15.) ῥύω (Job. XXXIII. 30.) אָגַד אֶת-
 לִי (Jud. XIX. 3.) in nostro loco est ἀποποιέω, quod est delictum
 vel debitum satisfaciendo delere, uti Genes. XXXI. 19. Epist. ad
 Philem. vers. 18. Qvare Chaldaus אָשַׁל quod est restituere,
 perfectè compensare (Exod. XXI. 6. Jud. I. 7. 2. Reg. IV.) conse-
 quent. satisfacere. Aquila eòdem consiliò τότε ἐπέστρεψον. Faber,
 Stapulens. in *quincupl. Psal. fol. 100. pro iis, quæ non admisi, tunc sa-*
tisfaciebam. Münster. & Clarius: *dedi pœnas eorum, quæ non admi-*
si. Kimchius vocem הַשִּׁיב retinuit. R. Salom. שׁוּר מִמֶּן *com-*
ensationem pecuniariam exponit, Conf. Anti-Socinian. Collegium
nostrum fol. 439.

§. VI.

Futurum autem h. l. non pro simpliciter *narrantante, sed pro fu-*
turò debiti habuit B. Lutherus, reddens: *muß ich bezahlen;* uti Va-
 tablus: *rependere cogor.* Sanè Futura in Ebraisinò sæpè *officium*
ac debitum includunt Mal. I. 6. Filius יִכְבֵּר *honorare debet* patrem.
 c. II. 7. labia sacerdotis יִשְׁמְרוּ *custodire debent* scientiam. & sic
 omnia futura Præceptorum Decalogi, du solt. Rectius verò B. Lu-
 ther h. l. per *muß* / quod est *debeo,* quàm Vatablus per *cogor* trans-
 tulit *Debebat* enim omninò Christus pro nobis solvere Luc. XXIV.
 26. sed hoc non *coactè,* sed *lubens* Psal. XL. 9. faciebat. *Animam nemo*
vi ab ipso tollebat; sed ipse à se ipso ponebat Joh. X. 18.

§. VII. Enal-

§. VII.

Enallagen temporis in כִּי וְאִם statuunt, quicunq; IN pro con-
versivo Futuri h.l.habent. Sententiam nostram diximus §.IV.

§. IIX.

ΕΥΑΓΓΙΟΦΑΥΕ; inter hunc atq; sequent. versiculum occurrit. Ea
enim verba: *Solvo quæ non rapui, &c: nosti, ô Deus, stultitiam meam;*
& reatus mei non sunt absconditi tibi, coll. cum Psalm XL. 1; *appre-*
benderunt me peccata mea, quæ numerosiora sunt capillis capitæ mei,
omninò sibi adversus frontibus configere videntur. Quid enim?
Si Christus nihil omninò rapuit, nil peccavit, quomodo innume-
rabilium peccatorum reus fuit? quomodo pro aliis tantùm sol-
vit, si ipse pro se debuit? Videntur itaq; hæc omninò pugnare.
Sed videntur. Nimirùm Peccator Christus fuit ita, ut peccatum non
noverit 2. Cor. V. 21. *Peccatorum,* ut Augustinus loquitur, *non*
commissor, sed susceptor extitit. Vocat peccata SUI A Psal. XL. 13.
non admisione, sed imputatione, non quòd fecerit (2. Corinth. V. 21.
Ebr. VII. 26.) sed quòd Pater in ipsum totius mundi peccata (Esaï.
LIII. 6. אֶפְרַיִם) conjecerit. Quò sensu B. Lutherus: *Christum*
omnium peccatorum gravissimum (quòd scil. omnium omninò ho-
minum peccata ipsi imputata fuerant) appellare non dubitavit,
dicens: *Omnes Prophetæ viderunt hoc in spiritu, quod Christus futu-*
rus esset omnium maximus latro, homicida &c. quò nullus major un-
quàm in mundo fuerit. Quia existens hostia pro peccatis totius mun-
di, jam non est persona innocens & sine peccatis, sed peccator NB. qui
habet & portat peccatum Pauli blasphemi, Davidis adulteri & homi-
cide: in summa, qui habet & portat omnium peccata in corpore suo.
NB. Non quòd ipse commiserit ea, sed quòd ea à nobis commissa
susceperit in corpus suum, pro illis sanguine proprio satisfacturus.
Tom. IV. Lat. Jen. Comment. in Epist. Gal. Tom. I. VVitteberg. fol. 281.
b. Altenburg. Tom. VI. fol. 698. a. Vani ergò sunt latratus ex Ignatia-
nâ familiâ canicularum Khiffenpfeningii Idea Lutheranism. cap. I.
§. 10. Vetteri, Kreuzii, aliorum: quasi atrocissimam in Christum
blasphemiam propterea commiserit. Vide Dn. D. Müll. Defens.
Luth. fol. 311. seqq. Vapulat quidem orthodoxis Celsus, apud Ori-
genem proclamans: Christum esse summum peccatorem, quòd Deus
ipsum peccatum fecerit; sed Celsus peccatorem in hæsiwè talem (quòd

B

Luthe-

3

Lutherus non fecit) intellexit. Nec quisquam nostrum probat istam quorundam Codd. Augustini tempore lectionem: *Is qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit*, quam B. Augustin. ut *Mendosam, Enchirid. c. XLI. & L. II. c. Maximin. c. II.* merito improbat. Ubi obiter annotamus Hieronymi hallucinationem, nescientis Mosen Deut. XXI. 23. cum Paulo Gal. III. 13. (*maledictus est ligno pendens*) conciliare, quod Moses de suspenso facinoroso loquatur, Christus autem peccator non fuerit. Admotâ luce distinctionis inter peccatorum *admissionem & imputationem* facile has nebulas dispulisset. Vid. B. Luth. *Comm. in Deut. Tom. II. FV. uteb. fol. 208. b. Altenburg. Tom. V. fol. 1105. b.*

§. IX.

Metaphora est (α) in voce גורלי *rapui*. Propriè enim raptus est *rerum corporalium*, quæ rapi possunt, ablatio. Transfertur, autem inde ad omnia omninò peccata. & raptum Deiformitatis, quod mox deducemus. (β) Idem Tropus est in voce השׁיב, quâ *satisfactio* in genere & *lucio, restitutio* esse dicitur. Propriè loquendo ea *restituuntur, quæ restitui possunt*. Possunt propriè restitui, quæ possunt *accipi*. Pœnæ corporales à Judice non *accipiuntur, sed exiguntur*. Homicida capite luens nec interfecto nec Judici, loco interfecti, *vitam restituit*: nec Judex homicidæ *supplicium accipit*. Interim pœnam sustinendo legibus *satisfacit*.

§. X.

Ad intelligendum totum hoc effatum sacrum, *οὐκ ἔστι Subjecti ac Predicati faciet*.

§. XI.

Rogavit quondam Evnuchus (*αὐτὸς Ἀβελιῶν*) Philippum: *Ἄκουσέ με, ὡς εἰπὸς ὁ προφητὴς λέγει τὸ πρῶτον, ὡς ἐαυτὸς ἢ ὡς ἑτέρον πρῶτον; obsecro Te, DE QVO PROPHEETA dicit HOC, de SE, an de ALIO quopiam? Act. IX. 34. Querimus & nos: an David dicens: Psal. LXIX. 5. restituendum esse non-raptum, de SE IPSO, an de ALIO fuerit locutus?*

§. XII.

Videndum ergò (I.) QVIS, (II.) CUJUS NOMINE & (III.) QUID loquatur.

QVIS

QVIS LOQVATUR.

§. XIII.

Loqvitur DAVID Pf. LXIX. 1. *Filius Isai, vir qui constitutus est excelsus, unctus Dei Jacobi, & amœnus Psalmis Israël* 2. Sam. XXIII. 1. *Πνεῦμα* & *ἐν πνεύματι* & *αἶψα* 2. Petr. I. 21. seu *Spiritus Sanctus* לְשׁוֹנוֹ *per linguam* 2. Sam. XXIII. 2. & *אֶף מִפִּי* & *os ejus* Aet. I. 16. *locutus est.* Kimchius eos tantum Psalmos Davidi tribuit, qui in Titulo לְדָוִד praescriptum habent. : de quo Aben Esra dubitat. R. Abarbanel inquit: כָּל מִזְמֵר הַסֵּפֶר הַזֶּה אֶלּוּ וְיִחְסֶנּוּ וְאֵם נֹאמֵר כִּהֵם לִבְנֵי קִרְחָה וְלֵאסָף הַזֶּה אֶלּוּ וְיִחְסֶנּוּ וְאֵם נֹאמֵר כִּהֵם לִבְנֵי קִרְחָה וְלֵאסָף כֹּלֵם אֶלּוּ וְיִחְסֶנּוּ i. e. omnes Psalmi totius libri ipsi (Davidi) attribuantur, etiamsi in nonnullis dicatur: Filiis Coræ aut assaphi. David composuit universos. Maschm. Jescb. fol. 78. b. Qvò ipsò sententiam Judaicam, Adamum scil. Psalmi XCII. & CXXXIX. (vide Pirke R. Eliezer. c. XIX. Vorst. animadvers. fol. 173. seq. & Talm. Cod. Bâsa Bâsra c. I.) confutat. Sed probabilior est sententia aliorum, qui quosdam Psalmos aliis autoribus tribuunt. Vid. 2. Paralip. XXIX. 30. & Domini Calovii Biblia illustrata Tom. I. fol. 930. Nos in praesenti hoc dubium non detinet, à quo & Titulus לְדָוִד, & Christus Luc. XX. 42. & Apostolus Aet. II. 25; Rom. IV. 7. Ebr. IV. 7. & Rom. XI. 9. ubi noster Psalmus allegatur, nos contra Veteres Hereticos liberant.

§. XIV.

Psalmorem librum Judæorum malitiâ corruptum esse Salmero T. I. Prol. 4. fol. 33. Pamelius in Tertull. adv. Jud. n. 133. Morin. Exerc. VI. Lib. I. c. XIV. fol. 312. Lindan. de opt. gen. interpr. c. IX. Lorin. Genebr. (qui alternativè sive Judæis, sive nonnullis sciolis Ebraeam linguam ostentantibus hoc tribuit) h. l. ad vers. 10. censent, nobisq; tanqvàm argumentum corruptorum fontium objiciunt, qvòd olim Psal. XCVI. 10. Dominus rogavit à ligno, lectum fuisse credant. Qvæ accusatio si vera sit, ingens veritati divinæ præjudicium creare potest. Si enim in sacro quovis libro unaqualibet falsitas (corruptela) reperitur, totius libri cœritudo interit, August. Epist. IIX. & XIX. ad Hieron. allegatus etiam D. IX. c. Si ad Scripturas. 7. Et sanè Justinus Martyr. Dialog. cum Tryphone fol. 232. scribit: τὸ θεὸν διὰ ξύλων, ἀφῆκεν οἱ Ἰσραῆλιται. Qvam lectionem,

B 2

qvæ

quæ vaticinium de crucifixione Christi continere videbatur, avidè
arripuere Tertullian. *adv. Judd. c. X. L. III. c. Marc. c. XIX. XXI.*
Auctor libri de Sina & Sion inter opera Cypriani, aliisque. Fortu-
nati hymnus passionis notus est:

*Impleta sunt, quæ cecinit
David fideli carmine,
Dicens, in nationibus
Regnavit à ligno Deus.*

Arnobii, Commentarius in Psalmos, quem allegant Lorinus, non
est, fatente Bellarminò & Sixtò Senensi.

§. XV.

His opponimus (α) advigilantem textui Sacro Divinam
ωεγόρια Matth. V. 18. (β) *Sententia, quòd Judæi fontes corruperint,*
pestilentissimus error est Sixto Senensi L. IIX. B. S. Hæref. II. fol. m.
793. (γ) Ipse Bellarminus argumentis quinque; Judæos ab hoc cri-
mine liberat *L. II. de V. D. c. II.* (δ) Numeri Masorethici contra-
dicunt. (ε) Hieronymi, Theodreti, Euthymii tempore voces
δὸ πὸ τῆς ξύλης non fuisse in Codd. Græcis, fatetur Bellarminus. (ζ)
Desunt in Editionibus Gr. Sixtinâ & Ximenianâ. Non habentur
in Symmacho, Aquilâ, Theodotione. (η) Desunt in Targum.
(θ) *Non esse de Ebraica veritate, sed Christiana devotione additas,* re-
ctè censet Stapulensis in quincupl. Psalt. fol. 141. ubi omninò vi-
deas. Conf. Fuller. *Misc. L. III. c. XIII. fol. m. 335.* Quid? quòd Ge-
nebrardus ipse dicit: *non haberi in Ebræo quoad verba.* Falsò au-
tem supponit à *LXX. prophetico spiritu addita.* (ι) Quare fermè
supervacaneum est, provocare ad Codices Ebræos. Qui enim à
LXX. infartas eas voculas dicunt, quomodo Ebræum textum cor-
ruptelæ accusare possunt? (κ) In nullo autem Exemplari Ebræo pro-
bato reperiuntur. Provocamus ad inductionem. Consentit Com-
plutense, Venetum, Regium &c. Consentit Papista *πῆς LXX.*
adscribentes, Genebrardus *b. l. Ribera in Habac. III. n. 9. seq.*
Augustin. Nubiens. Faber Stapul. alii. Sed (λ) nec Vulgata, Sixti-
na, Clementina huic errori patrociniatur. (μ) Nec Patrum quis-
piam, ne ipse Justinus quidem, à Codice Ebræo, sed tantum à LXX.
translatione eas voces oblatas asserunt. Falsâ insuper hypothesi
πῆς θεοπνευσίας τῶν LXX. laborarunt, & qui Ebræa ignorarunt,
facile

facile decipi poterant. Cetera Theologi in Loco de Scripturâ Sacramentâ expediunt.

CUJUS NOMINE DAVID LOQVATUR?

§. XVI.

Suò nomine ac de se ipso Prophetam hæc loqvi, seculo VI. (A) existimavit Theodorus Mopsuestenus, ob id à V. Synodo censoriâ A. virgulâ percussus, apud Baron. *ad Ann. Chr. 553.* Dixerat autem Theodorus, *in Sacrà Scripturâ & prophetis nihil expressè dici de Christo.* Vide Thom. *præfat. in Psalmos Tom. Oper. XIII. edit. Ant. verp. ann. 1612.* (B) Judæi Israëlitis nomine dictum putant. Unde B. Targum: *גלות סנהדרין על המזמר הזה נאמר על לשון הגלות והוא מדבר לשון יחיד על ישראל שהם כשושנרה בין החוריים* R. Salomo: *מזמר סתם* *de Israëlitis, qui sunt instar rose inter spinas.* R. Abarbinel: *על הגלות מוכר שגאמר על הגלות* *manifestum est Psalmum LXIX. agere de exilio.* Maschin. Jesh. fol. 78. b. Vide qvomodo explicetur de Israëlitis in Rabbos fol. CCLII. a. & Judæis in *Echa Rabbâsi fol. LII. d. LXXV. c.* (C) Ex Christianis Pellicanus: *Oratio est hominis fidelis in summâ diuturnâq; angustia, qvæ Christi passionum ac membrorum suorum typus est.* Comm. h. Pfal. Aret. Felinus: *Continetur hoc Psalmô primum vehementissima qvædam Davidis, ut typi Christi, qverulatio. Piscator: tum David, partim pro liberatione sui à persecutione Saulis ac servorum ejus, partim pro persecutorum suorum punitione &c.* Orat. in hunc Psalm. Calvinum notavit B. Hunnius *Opp. Tom. III. fol. 836.*

§. XVII.

Nos (hâc vice contrâ Judæos non præcisè disputaturi) cum Hilario, Augustino, Cassiodoro, Euthymio, & aliis orthodoxis, recentioribus ac veteribus statuimus Sacramentum Dominicæ passionis hoc Psalmô contineri, Davidemqve non de se ipso, sed Messîâ verba facere. Qvod & prisca Rabbiorum in *Medrasch Ruth. c. III. 14.* agnoverunt.

§. XIX.

Probamus (A) Hujus Psalmi *versus 10. à discipulis Joh. II. 17. A. & Paulo Rom. XV. 3. ad Christum: versus 27. à Petro Act. I. 20. ad*

B 3

Ju-

Judam Christi proditorem: versus 23. 24. ad excidium Judaeorum, propter contemptum Salvatorem à Paulo Rom. XI. 9. 10. applicatur. (B) Versus 23. in Christo Matth. XXVII. 34. Joh. XIX. 28. seq. manifesto impletus est. Vide B. Dorſch Pentadec. Diſp. VI. fol. 227.

C. ſeq. (C) De Davide exponi non poteſt verſus noſter. Quando enim reſtituit non-raptum, aut luit non-commiſſum? Quando felle & aceto (quod verſu 22. dicitur) potatus in ſiti ſua? Quando hæc Iſraëlitis contigere? Quomodo illis cætera per totum Pſalmum prædicata conveniunt? Annè præſci Rabbinorum ſ. præced. allegati, junioribus minùs ſapientes? Repetant moderni hic illud ſuorum Magiſtrorum: אֲנִי מַלְכִים בְּנֵי מַלְכִים אֲנִי כַחֲמוּרִים וְאַתָּם רַשׁוּנוֹת בְּנֵי אֲנָשִׁים אֲנִי כַחֲמוּרִים Si veteres fuerunt filii Regum, nos ſumus filii plebejorum: ſi illi fuerunt filii plebejorum, nos ſumus inſtar aſinorum, Talm. Schabbas fol. CXII.

D. a. (D) Nulla ratio in contrarium afferri poteſt. Quod confli-
E. cui reſervamus. (E) Teſtimonia veterum (de Chriſtianiſ lo-
quimur) adducere non eſt opus. Vid. Dn. Calov. Biblia illuſtr. ad
b. l. T. I. fol. 1054. ubi contrà Grotium & Calvinum Judaizantem,
XII. argumentis, hunc Pſalmum de Chriſto eſſe intelligendum,
evincit.

ſ. XIX.

Conſtitutò, Davidem de CHRISTO loqui, conſeqvens nunc
eſt videamus, quidnam de eo pronunciet. Queritur ergò,

QVID DE CHRISTO LOQVATUR.

ſ. XX.

Quod non rapui, tunc ſolvam. Non-rapti ſolutione
totum hoc eſſatum abſolvitur, cujus partes ſunt (I.) REATUS,
(II.) SOLUTIO. Iſtud גִּזְוִי ſive raptus: hoc הַשִּׁיב ſive re-
ſtitutionis voce innuitur.

REATUS.

A) DE REATU,

ſ. XXI.

REATUS (α) SPECIES (β) OBJECTUM & (γ)
SUBJECTUM h. l. notanter exprimitur.

ſ. XXII.

SPECIES.

SPECIES eſt גִּזְוִי Rapina, & quidem (I.) inſta, cujus
reſtitui.

restitutionem naturalis & immutabilis Dei justitia exigit. Cujus intuitu peccatum Rom. I. 18. Ebr. IIX. 12. אֲדִינָא, & remissa peccatorum justificatio passim appellatur. (II.) *Violenta*, quod vocabuli natura §. III. exposita arguit. Accedit, peccatum esse revera rapinam & violentum raptum ejus, quod lege nobis prohibitum, consequenter non nostrum, sed alienum est. Non quasi peccando Deo vis quaedam inferatur: sed quod invito & non-volente Deo Psalm. V. 5. peccatum committatur. Qui legem Divinam violat, is invito supremo legislatore peccat. Hinc peccatum i. Joh. III. 4. Tit. II. 4. ἀνομία dicitur.

§. XXIII.

OBJECUM rapinæ hujus seu alienum atque lege Divinâ prohibitum, tum (α) primitatis, tum (β) adæquationis est. OBJEC-
CTUM

§. XXIV.

Primitatis vocamus exorbitantiam illam Deiformitatis rapinam, ab Adamo in Paradiso commissam, cum Diaboli svasu כְּאֱלֹהִים similis Deo Genes. III. 5. esse voluit, & ita divinitatem, quæ Deo quidem eripi non potuit, ad se tamen rapere attentavit. Sicut enim Cain negando coram omniscio, se scire ubi sit Frater Gen. IV. 9. הֲלוֹא אֵינִי עֹשֶׂה כְּכֹל אֲשֶׁר עָשָׂה אֱלֹהִים factus est quasi fur omniscientie divine, ut eleganter in h. l. R. Salomo commentatur; ita multo magis Adamus, affectando scientiam & similitudinem Dei, omnium maximam rapinam Deiformitatis ac majestatis divinae commisit. Huncque raptum h. l. ἐξουθενῶς intelligi ex Phil. II. 6. luculenter apparet. Cur enim quæso Christus εἰς ἀπειραγμὸν ἠγάπησεν τὸ εἶναι ἰσοῦ θεῶ, nisi ut expiaret raptum ejus qui volebat esse similis Deo? Quia Adamus primus non existens in formam Dei, voluit similis esse Deo, cum nec deberet nec posset, Gen. III. 5. ideò Adamus secundus existens in formam Dei, non arbitratus est rapinam similem esse Deo, cum esse potuisset, nisi abstinentiam ab usu majestatico rapinam Adami expiare voluisset. Conf. B. Dorsch. Pentadec. Diss. VI. fol. 242. seq. Fewrborn. Fascic. III. fol. 71. seqq. 377. seqq. Κενωσῆς. S. VII. c. VII. S. I. c. XIV. fol. præsertim 101. Infero (α) Phrasis, non arbitrari rapinam similem esse Deo, Christi humiliati desumpta non est ab omnibus hominum peccatis indifferenter, sed à solo raptu Deiformitatis, Ergò rapina Deiformitatis specificè vel est omne, vel exorbi-

exochicum peccatum. Non illud, quod clarum est. Ergò hoc. (β)
Humiliatio Christi, expiatoria est exaltationis humane illicita. At
exaltatio illa exochica fuit, quâ Adamus Deo similis esse voluit.
(γ) Mirum esset, si Apostolis, qui omnes loquendi formulas è
V. T. divino artificio collegit, Phil. II. 6. non respexisset ad Psalm.
LXIX. 5. & ab Adamo Gen. III. 5. commissam Deiformitatis ra-
pinam. (δ) Quod est exochicus raptus, illud exochice Psalm. LXIX.
5. intelligitur. At raptus ille Genes. III. 5. est talis. Ergò. Mino-
rem contrâ Bell. L. III. de amiss. grat. & stat. pecc. c. X. probârunt
Theologi, qui demonstrant, non obstare peccatum in Spiritum S.
vide B. Meissn. Anthropol. Dec. I. Diss. IV. Q. IV. Nervosè B. Lu-
therus: Gott gleich seyn wollen/ist/ Gott nicht wollen lassen Gott
seyn/(quod nullus peccator in Spiritum Sanctum facit.) welches die
allergröste Sünde ist/unter allen Sünden/Comment. in V. Psal. Tom.
III. VVittob. fol. 145. b. Altenb. Tom. II. fol. 608. b. Et Tom. I. Isleb.
fol. 500. a. Altenb. Tom. IV. fol. 724. per Gott seine Gottheit nicht
lassen/ (i. e. rapere Deo divinitatem suam) exponit. Et hujus peccati
contagio omnes Evigenæ laborant. Vide. B. Danhau. Deuteronom.
fol. 80. omninò. (e) Consentiant Patres ac Interpretes. AUGU-
STINUS: Primi Parentes rapere voluerunt divinitarè. Comment. Psal.
LXIX. b. l. Et Tract. XVII. in Job. Tom. IX. de Christo scribit: Non
ipse se faciebat aequalem Deo, sed ille illum generat aequalem. Si se ipsum
faceret aequalem Deo, caderet per rapinam. Qui enim se voluit aequa-
lem facere Deo, cum non esset, cecidit, & ex Angelo factus est Diabolus:
& hanc superbiam ho mini propinavit, unde ipse dejectus est. Nam,
hoc dixit homini, cui stanti lapsus invidit, gustate & critis sicut Dei, i. e.
usurpatione capite, quod facti non estis, quia & ego rapiendo dejectus
sum. Non hoc prodebat, sed hoc svadebat & c. ATHANASIUS
Tom. II. opp. Dial. I. de SS. Trinit. quærenti Anomœo: Quod ipse
non rapuit, cur illi impertis? respondent: quoniam, inquit, ipse non
rapuit, sed habet naturâ, & hoc habens exinanivit se ipsum formâ ser-
vi acceptâ. Ad eundem modum THOMAS AQUINAS: Quia
cognoscit (Christus) benè naturam suam, idè dicitur Job. V. aequa-
lem se Deo facit: sed hoc non fuit rapina, sicut quando Diabolus & ho-
mo volebant ei aqvare Esai. XIV. & Genes. III. Hæc autem fuit rapina:
idè pro hæc Christus venit satisfacere Psalm. LXIX. quæ non rapui,
tunc

tunc exolvebam, Comm. Phil. II. Tom. opp. XVI. fol. 153. d. ed. Ant-
verp. 1612. Ubi tamen $\mu\omicron\sigma\Phi\eta\nu$ $\theta\epsilon\acute{\iota}\varsigma$ incongruè per naturam Dei ex-
ponit. ESTIUS: Latenter, inquit, taxatur Diaboli & hominis su-
perbia, qui divinitatè appetendo, quodammodo eam rapuerunt, & pro-
pter hoc humiliati sunt vel invitati. Comment. ad I. c. Phil. fol. m. 654.
Jacob. Peref. de VALENT. Christus nunquam peccavit; sed passus
est pro peccatis primi parentis, & pro peccatis nostris præteritis & futu-
ris. Nam Adam rapuit fructum à ligno vetito. Sed Christus passus
est, ut nos liberaret. Et ideò ait, quod non rapui; tunc scil. in cruce
exolvebam, pro omnibus supple. Sat est advertendum, quòd duplicem
rapinam commisit Adam. Nam primò rapuit fructum prohibitum; ;
secundò voluit rapere divinitatem. Comment. h. l. Ceteros allegavit
B. Dorisch. Pentadec. Diss. VII. §. 16. Nostri Doctores passim idem
tradunt. Vide B. Fewerborn. $\kappa\epsilon\upsilon\omega$ $\sigma\tau\epsilon\gamma\epsilon$. Sect. I. fol. 102.

§. XXV.

Notandum autem (1) quòd Phil. II. 6. non dicitur: Christus
non rapuit; sed rapinam non duxit, ut Chrysostomus in h. l. ferè
loquitur, ideò factum esse, quòd Christus certò sciverit se esse reverà
æqualem Deo. Unde (2) constat, cur veteres Hæretici fraudulen-
ter Phrasin Pauli: non arbitratus est esse rapinam, per tò non rapuit
exposuerint. Si enim (inferebant) tò $\epsilon\iota\upsilon\alpha\gamma$ $\iota\omicron\upsilon\alpha$ $\theta\epsilon\omega$ non rapuit, uti-
que divinitatem non habuit. Flacius autem in h. l. & Parc. I. Clav.
fol. 53. cum his hæreticis non facit.

§. XXVI.

Objectum adæquationis expiatæ per Christum rapinæ sunt o- Adequa-
mnia omninò totius generis humani peccata. QVOD NON RA- tionis.
PUI. Quousq; se extendit hominum reatus, id per rapinam h. l. in-
telligitur. At reatus per omnia omninò peccata se extendit. Ergò.
Quòd Christus (α) ipse non patravit (ϵ) in se tamen suscepit, illud
tanquam non à se, sed aliis raptum persolvit. Atqui (α) nullum
peccatum Christus ipse patravit, Ebr. VII. 26. 1. Pet. II. 22. 1. Joh.
III. 5. Ebr. IV. 15. Joh. IX. 46. in se tamen (β) omnia suscepit Esai.
LIII. 6. 11. 12. Joh. I. 29. 2. Cor. V. 21. 1. Petr. II. 24. III. 18. Ergò
omnia peccata tanquam non à se, sed aliis raptum persolvit. Con-
sequenter per rapinam adæquatè omnia omninò peccata, sive (N)
Persona naturam, sive (γ) natura Personam, sive (δ) Persona Perso-
nam

C

nam

ram corrumpat, intelliguntur: quorum istud originale originans, illud originatum, hoc actuale vulgò dicimus. Primi hominis peccatum rapinam esse, ex jam disputatis intelligitur. Cæterorum verò nullum est, in quo non aut raptus veritatis divina, aut justitiæ, aut sanctitatis, aut potentiæ, aut dominii ac jurisdictionis suprema consistat. Et totus Decalogus, ejus quod Dei ac proximi est, illicitò ac prohibitò raptu violatur. Honor Deo contrà primam, officium præstandum proximo contrà secundam Tabulam rapitur. Contrà se ipsum peccans, animâ & corpore, divinitus sibi hoc sine non elocatis, invito supremo Domino abutitur. Abusus hic rapinæ speciem ac faciem induit. Distinctius: Violato Præcepto I. II. III. rapinam honoris divini committi, clarum est. Committitur autem etiam rapina honoris Parentibus debiti contrà Præc. IV. rapina vitæ contra V. rapina pudicitie ac thori contrà VI. rapina bonorum fortune contrà VII. rapina fame contrà IIX. rapina fortitudinis spiritualis ac rectitudinis originalis contrà IX. & X. Confer Tabulam virtutum ac vitiorum apud B. Danhau. *Hodosoph.* fol. 503. ad 506. & B. Luther *Comm. in c. XXV. Gen.* ubi divites non rectè utentes divitiis suis in usum proximi, propterea fures appellat. *T. IX. Altenb. fol. 748.* Adde omninò *Tom. I. Isleb. fol. 18. & Altenb. Tom. I. fol. 393. a.* Quæ certè multò fluunt liquidius, quàm speculationes Caramuelis, qui, ut *quaternarium Personarum (Dei, Parentum, Sui ipsius, Proximi.* NB Persona Sui ipsius ad Proximum pertinet in Decalogo. Vide mox citandum Tertull.) contrà quas peccatur, cum *quaternario vitiorum (Occisione, Fornicatione, Furto, Mendacio)* suo more combinare, & *occisione quoq; in Dei Personam* peccari, dicere posset, *Atheismum mentale Deicidium*, satis Caramuelicè i. e. monstrosè *Theol. Moral. Fundamental. fol. 464.* app:lavit. Cæterum, uti omnia peccata contrà Decalogum sub rapinæ notione commodè latere posse diximus: ità vicissim Adami peccatum (quod rapinam esse ostensum est) contrà Decalogum grafari, facile nobis pervaserit Tertullianus in Protoplastos: *Si, inveniens, Dominum suum dilexissent, contrà Præceptum ejus non fecissent; si proximum diligerent, id est, se ipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atq; ità in se ipsos (addo: & posteros) homicidium (NB. adderem: & latrocinium) non commisissent, excidendo de immortali-*

rate faciendo contrā Præceptum Dei: à furto quod, abstinuissent, & de fructu arboris non gustassent. Nec falsum asseveranti Diabolo, participes efficerentur, credendo ei, quod similes Deo essent: si alienum non concupiscerent, de fructu veritò non gustassent. (NB. hoc etiam furti ac rapinæ species est.) Unde concludit: Igitur hęc primordia-
li lege Dei, quàm in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter condita fuisse cognoscimus. L. advers. Judæos c. II. fol. m. 120. Similiter Augustinus: In illo, inquit, peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, & in omnes homines pertransiit, propter quod etiam parvuli baptisantur, possunt intelligi plura peccata, si unū ipsum in sua quasi membra dividatur singula. Nam & superbia est illic, quia homo in suā potius esse, quàm in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia semetipsum precipitavit in mortem: & fornicatio spirituali, quia integritas mentis humanæ serpentinā suasionē corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: (NB. Ergò juxtā August. omnis rei prohibita usurpatio furtum ac rapina est.) & avaritia, quia plus quàm illi sufficere debuit, appetivit: & si quid aliud in hoc uno admissio diligenti consideratione inveniri potest. Enchirid. ad Laur. c. XLV. Tom. III. opp. fol. m. 167. Et quanquàm cum Judæis (Lib. Jalk. ad 2. Sam. VII. 14. En Isr. fol. 80. c.) dicentibus Adamum cum malignis spiritibus congressum esse, ut probemus, etiam Sextum præceptum primò peccato violatum fuisse, nugandum nobis non sit, sufficit tamen fomes peccatorum inordinata concupiscentia. Rectius censent, שחטת אדם הראשון הוּן עמוק עמוק מי ימצאנו Peccatum Adami primi profundissimum esse, ut nemo illud facile inve-
stigare possit. Zrör Håmmor ad Gen. III.

§. XXVII.

SUBJECTUM hujus Reatūs in (α) *inbasionis*, five quod SUBJE-
rapinam istam commisit, & (β) *imputationis*, five cui rapina hæc CTUM.
imputata est, dispesci debet.

§. XXIX.

Subjectum *inbasionis* est omnis omninò homo, (1. Reg. IIX. 46. *Inbasio-*
2. Paral. VI. 36. Rom. III. 23. V. 12. 14. XI. 32. Joh. III. 6. Psal. LI. 7. *nis.*
Gen. VI. 5. IIX. 21.) *excepto solo Christo* (Ebr. IV. 15. VII. 26. I. Pet.
II. 22.) Omnes enim homines, ad Adami similitudinem ge-
niti,

niti, rapinam in Adamo commiserunt, & à nativitate contrâ Legem Dei, per II. cc. committunt.

§. XXIX.

Imputationis *Imputationis* subjectum est duplex, *activum* sive *imputans*, & *passivum*, cui imputatur, sive in se *suscipiens*.

§. XXX.

activum. *Imputans* est *Deus* conjiciens in Christum omnia peccata nostra. *Jehova* enim *את עון כולנו* *incurrere in illum fecit*, *iniquitatem omnium nostrum* Esai. LIII. 6. *eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum faciens* 2. Cor. V. 21. Typis fuit *Sacerdos* veteris legis *כל עוונותי כל פשעים כל חטאותי* *omnia omnino* (cujuscunq; generis ac nominis) *peccata populi* *נותן ברותן על ראש השעיר* *Hirci emissarii capiti imponens* Levit. XVI. 21. Conf. Colleg. nostr. Anti-Socin. fol. 493. seqq. Cum enim *absq; reatu* Christum puniri justitia non permiserit, ipse verò *crimen nullum* commiserit, *imputatione* hâc omnino opus erat.

§. XXXI.

passivum. Subjectum *conjiciens* requirit subjectum in se *suscipiens* aliena peccata. Hoc verò est *Christus*. In hunc enim *Deus* nostra peccata conjecit, hunc pro nobis peccatum fecit. *Suscipit* igitur *Christus* in se alienam culpam. *Permisit imputari sibi* pro nobis rapinam, quam non commisit. Respondet itaq; *את הפגיע* quod patris est, *בבגדו* *bajulatio*, & *בשפי* *portatio*, quæ filii sunt Esai LIII. 4. 11. 12. Unde *Hircus emissarius*, de quo etiam *בשפי* Levit. XVI. 22. habetur, *agni Dei* in se peccati maculam 1. Petr. I. 19. non habentis, aliena verò, totius nimirum mundi peccata Johan. I. 29. portantis, *typus* extitit. Quomodo portavit? Respondeat Apostolus: *Peccata*, inqviens, *nostra tulit in corpore suo super ligno*. 1. Petr. II. 24. *Ανήνεγκας τας αμαρτίας sursum secum, ascendendo quasi tulit: ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ* in corpore suo tulit: *ἐπι τὸ ξύλον* in crucem & in cruce tulit. Peccata ipsa ferre non potuit: sed *pœnas* peccatorum in corpore suo pertulit: & *מסר שלימונו* *castigatio pacis nostræ* (meritoria) *super ipsum* Esai. LIII. 5. fuit. Sed quomodo peccati pœnas justè pertulit, si peccatum nullò modò habuit? Habuit ergò peccatum, quod ipse factus fuit: *apprehenderunt me עונתי* INIQUITATES MEÆ Psal. XL. 13. & in nostro Psalmo LXIX. nostj

noſti Domine וְהוֹתִי וְהוֹתִי STULTITIAM MEAM &
REATUS MEOS verſ. 6. [Hūc tamen perperam rapiuntur
verba Pſal. XXII. 2. à LXX. qv̄י וְהוֹתִי pro וְהוֹתִי legentes ὁ
λόγος τῶν ὀργῶν ἀμαρτῶν μὲς tranſtulerunt. Aliud verba ruginis,
aliud verba delictorum ſunt. Quāqv̄m Chriſtus in cruce,
noſtris peccatis onuſtus clamaverit. Hi LXX. etiam Auguſtinum
alioſq; deceperunt. Et Thomas P. III. q. XV. a. 1. hunc locum cæ-
teris omiſſis non allegaſſet, ſi fontes inſpicere potuiſſet. Bellarm.
etiam τῶς LXX. ſeqvitur in h. Pſalm. fol. 112. minus recte.) Ha-
buit inqv̄m, non proprietate inhaſionis, ſed imputationis, non com-
miſſione, ſed ſpontaneâ ſuſceptione. Quā verè enim in adventu
ſecundo abſq; peccato apparebit, tam verè, cū offerretur in cruce,
peccatum habuit. At in ſecundo adventu abſq; ullo peccato
apparebit Ebr. IX. ult. Ergò cū offerretur in cruce, verè pecca-
tum habuit. Non habuit autem propria (Joh. IIX. 46. Ebr. VII.
26. 28.) Ergò divinitus imputata. Chriſtus delicta noſtra, ſua deli-
cta fecit, ut juſtitiam ſuam, noſtram juſtitiam faceret, inqv̄it Auguſti-
mus in Pſalm. XXII. 2. Planè ut Paulus: Deus Chriſtum pro nobis pecca-
tum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei per illum 2. Cor. V. 21. At ju-
ſti reddimur per imputationem juſtitia alienæ, non habentes pro-
prietam Phil III. 9. Ergò Chriſtus factus eſt peccatum per imputa-
tionem, non habens proprium: ὁπερ ἔδει δεῖξαι.

ſ. XXXII.

Ubi notamus: Parum dici à Thomâ l. c. ad 1. Chriſtum cum
delicta SUA vocat, ex perſonâ membrorum ſuorum (qv̄ia in ſeptem
Regulis Tyconii, qvos proponit Auguſtinus L. III. de doct̄r. Chriſt.
c. XXXI. Chriſti & Eccleſia una Perſona eſtimetur) loqv̄i. Eundem
ſenſum amplexi fuere Damasc. IV. O. F. c. XIX. Ambroſ. in Pſalm.
XXXIX. Nazianzen. Orat. XXXVI. eſt IV. de Theolog. num. 20. Ruf-
finus in Pſalm. XXII. 2. Parum hoc eſt, inqv̄m, qv̄ia ex eo, qv̄d
à Patre peccatum factus eſt 2. Cor. V. 21. hæc loqv̄itur. Factus autem
eſt imputatione, de qv̄â, qv̄d mireris, altum ſilentium apud Tho-
mam (verba hæc: delicta hominum, qv̄a ego mea eſſe feci, ut pro eis ſa-
tis facerem, qv̄æ Thomæ b. l. eſſe Vaſq. mox citandus ait, non in
Exemplari Colon. 1640. nec in ed. Antverp. 1612. reperio) ex profeſſo
tamen l. c. diſputantem: utrū in Chriſto fuerit peccatum: & quo-

C 3

modo

modo Christus peccata *SUA* vocare potuerit. Ipsemet Vasq. [cujus opera, tanquam singulare donum Dn. D. Gotbofr. Christiani Bossi, Fratris mei in CHRISTO quondam conjunctissimi, אברהם בן יוסף , cujus liberalitas ex merito publicè mihi deprædicanda est, possideo] in P. III. Thom. Tom. I. disp. LXI. c. I. fol. 467. hanc sententiam ex Hieronymo, Ambrosio, Theodoro, Augustino rectè confutat, & Regulam allegatam Tyconii, cum de peccatis membrorum sermo est, in Christo non habere locum ostendit. Ità in Basil. Concil. sess. XXII. hac Augustini de Româ (Titularis Archi-Episcopi Nazareni) Propositio: *Christus quotidie peccat*; &: *Ex quo fuit Christus, quotidie peccavit*, tanquam scandalosa & erronea damnata fuit, quamvis (ut Concilium loquitur) *de capite Ecclesia Christo Jesu Salvatore nostro dixerit se non intelligere; sed de membris suis, quæ cum Christo capite unum esse Christum asseruerit.*

SOLUTIO.

B) DE SOLUTIONE.

§. XXXIII.

SOLUTIONIS vim ut exhauriamus, ipsius (A) SUBJECTUM, (B) OBJECTUM, (C) ACTUS & (D) FRUCTUS distinctè nobis consideranda sunt.

§. XXXIV.

Et SUBJECTUM quidem in (α) exigens & (β) prestans: OBJECTUM, pro quo solutio facta, in (N) reale ac (D) personale distingui; ACTUS satisfactoriâ exinanitione absolvi: FRUCTUS autem ut privativus mali, ac positivus boni considerari potest.

§. XXXV.

SUBJECTUM, solutionem exigens, est Deus, quod ex peccati imputatione, & laxæ justitiæ divinæ consideratione breviter ostendimus.

§. XXXVI.

I. Argumentamur itaque (I) *Qui omnium hominum RAPINAM seu peccata in Christum coniecit, is etiam solutionem ac satisfactionem exegit. Atqui DEUS illud fecit, per §. XXXI. Ergo. Conseq. est evidens. Ideo enim peccata à nobis transtulit, quia à ἀλασθηρω solutionem fieri non posse Psal. XLIX. 8. 9. probè novit. Ideo*
verò

verò in Christum coniecit, quia à solò θεωθεώπων satisfacionem Rom. IIX. 3. expectavit.

§. XXXVII.

(II) Cui ab hominibus raptum erat, ille restitutionem exigebat. II.
Atqui Deo raptum erat per §. XXIV. XXVI. Ergò. Propositio patet ex הַשִּׁיב & restitutionis naturâ. Cui nil ablatum est, nil restitui potest: & vicissim illi. soli restitui potest, cui soli raptum est. Atqui Deo soli peccatum ac raptum est Psal. LI. 6. Ergò.

§. XXXIIX.

(III) Cujus justitia raptu hòc lesa fuit, ille restitutionem jure III.
exegit. Atqui Dei justitia raptu hòc lesa fuit. Ergò. Minorem probavit Colleg. Anti-Socin. Diss. VI. fol. 60. seqq. contrâ Socinn. qvì negant, dari in Deo justitiam vindicativam ac punitivam naturalem. Δικαιώματα Dei (mala facientes morte dignos esse) naturâ notum est Rom. I. 32. Ergò jus Dei naturale, non voluntarium. denotat. Absolvere fontem (raptorem) circâ satisfacionem, Deus Proverb. XVII. 15. in hominibus abominatur: & ipse נקמה לה ינקמה Exod. XXXIV. 7. nullò modò ullum absq; satisfacione absolvere potest.

§. XXXIX.

Unde sequitur, solutionem à Christo pro nobis praestitam, non Diabola, sed Deo factam esse. Non enim Diabolo, sed Deo raptum fuit. Ergò Deo, non Diabolo restituendum fuit. Cui Christus se obtulit, illi solutionem fecit. Atqui Christus seipsum τὸ θεῶ I P S I DEO (non Diabolo, quod idololatra 1. Cor. X. 20. faciunt) Ephes. V. 2. obtulit. Ergò. Unde etiam hòc respectu Sacerdotibus, qvì ἐν θεώπων constituuntur in iis, quæ πρὸς τὸ θεόν & apud Deum, dona scil. & victimas illi offerendo Ebr. V. I. eguntur, annumerantur, cui axiomaticè Apostolus totam de Sacerdotiò Christi doctrinam superstruxit. Quod orthodoxam de satisfacione Christi doctrinam nequaquam evertit. Vitiosè enim colligunt Sociniani: Si Christus verè pro nobis solvisset, λύτρον ἑαυτοῦ ἑαυτοῦ, cuius captivi eramus, solvendum fuisse. Lyron, inquit post ceteros Baro Wolzogenius, redemptionis propriè ei datur, à quò (è cuius scil. manibus) captivus redimitur: ii autem, à quibus nos captivi detinebamur, sunt Diabolus, peccatum, mundus & mors. Quorum nulli Christus ullum
lyron

lytron dedit, vel pretium persolvit. *Comm. ad Matth. XX. 28. Tom. I. Oper.* (quæ sunt pars *Bibliotheca Unitariorum* nuper in Belgio editæ) fol. 349. Ad quod fusè à nobis responsum est in Collegio Antisocin. *Disp. LXI. fol. 449. seqq.* ubi videas. Ob spoliū ac raptinam commissam *Diabolus* nos captivos detinuit *ut licitor tantum*, non ut *carceris Dominus*. *Solutio autem non fit licitori*. Diabolo nil raptum fuit. Ergò nil restituendum fuit.

§. XL.

Vocavimus autem Subjectum *exigens, non acceptans*. Tùm quòd (α) pœnas corporales (quales etiam Salvator nostrī vice sustinuit *Esai. LIII. 4. 5. 6.* quod tota insuper Passionis Historia docere potest) Rector quidem exigit, sed non accipit: tùm quòd (β) studiosè caveamus, ne similitudine vocis *acceptationis*, quem cum *acceptilatione* habet, Lectorem offendamus. Notum enim est, quem admodum Civili *acceptilationis* vocabulio abutentes, Christi satisfactionem enervare conentur Sociniani. Et sanè *Socinus* ex eò, dum Doctores, *imputandi* vocem apud Paulum exponentes, *id nobis acceptum ferri* dicunt, quod ipsi non solvimus, sed alius pro nobis, eosdem *acceptilationem* statuisse colligit. Quid aliud, inquit *Socinus*, apud *7Cros*, unde hæc loquendi formula *desumpta* videtur, *acceptum ferre* significat, quàm pro soluto habere, NB: licet verè solutum non sit? Quid aliud est ipsa *Acceptilatio*, quàm per sola verba *obligationis liberatio*? de *Servat. P. IV. c. II. Operum* verò *Tom. II. fol. 216.* Per *acceptilationē* itaq; fictam atq; imaginariam solutionem intelligunt. *Socinum* autem *acceptilationem* non statuere, *Crellius* mentitus est, quod aliàs ostendimus. Loquamur vocibus potiùs *Spiritus Sancti*. Vide tamen. quæ nervosâ brevitate de *acceptilationis* vocabulo tractat *B. Dorisch. Pentadec. Disp. VI. fol. 263.*

§. XII.

SUBJECTUM & quidem (α) ratione *Principii QVOD* & *QVO*, (β) ratione *stiprans. tñs*, distinctè consideratus.

§. XLII.

CHRISTUS restituit, per §. XIIX. CHRISTUS, inquam innocens. Ait enim Textus: *QVOD NON RAPUL*. Pro alieno nimirum raptu, nõ suo solvit. Ergò innocens & ab omni raptu purus fuit.

Fuit

Fuit sine peccato Joh. IIX. 46. Ebr. IV. 15. *Talem enim ἐπεσε δε-
cebat esse nobis Pontificem, qui esset ὁσιος, ἀκακός, ἀμίαντος*: κε-
χαρισμῶν διὰ τῶν ἀμαρτωλῶν Ebr. VII. 26. Si enim pro se
debuisset, pro nobis perfecte solvere non potuisset. Quare eum,
qui peccatum non noverat, pro nobis (conjiciendō in eum peccata
nostra Jef. LIII. 6.) peccatum 2. Cor. V. 21. fecit, ut justus pro injustis
1. Petr. III. 18. moreretur. Testimonium innocentia Christo in
cruce Latro Luc. XXIII. 41. (ἔτι δὲν ἄπο πον ἐπεσῆ) imō ipse Ju-
dex Pilatus (nullum crimen in homine invenio) vers. 14. præbuit,
quippe qui nec in Adami peccatoris lumbis fuit. Necessariō ex Ada-
mo prodituri, in ejus lumbis (voluntate scil. Dei creatrice) esse di-
cuntur. At Christus occasione tantū peccati, & eventuali con-
ditione incarnationis (pendentis à voluntate Dei reparatrice) ex
Adamo natus est. Impiam sententiam Episcopi, quōd Christus
peccare potuerit, Resp. ad Defens. Cameron. c. XIII. Oper. Tom. I.
fol. 289. & Durandiz. Sent. Dist. XII. cui non est inconveniens, dice-
re, quōd Christus peccaverit, vel peccare aut (horresco referens) da-
mpari (nec video, porrō inquit, quare persona divina non possit assu-
mere naturam hominis damnati) potuerit, refutant alibi Theologi.

§. XLIII.

Ratione Principii QVOD est θεῖον ἄρωπ. Is enim raptum
ac spolium Deiformitatis h. l. restituit, qui, ἐν μορφῇ θεῶ ἵσθη-
χων, Deiformitatem ex rapto ac spolio (Phil. II. 6.) non habuit:
ex patribus τὸ κτὶ σίγμα natus Deus super omnia benedictus in
secula Rom. IX. 5. verbō, Deus in carne manifestatus 1. Tim. III. ult.
fuit.

§. XLIV.

Hinc inferimus: Qui μορφῆν θεῶ non habuit, nec θεῖον ἄρω-
π. est, ille spolium Deiformitatis non restituit. Atqui nemo ἁ-
λανθῶπ. talis est. Ergo. Quod eō diligentius inculcandum,
contrā Papistas, qui CHRISTO, quasi ipse non fuisset solvendo,
nescio quos Corredemptores associant. Ut UNUS Deus, itā etiam
UNUS Mediator est. 1. Tim. II. 5. At UNUS Deus exclusivē est.
Ergo & UNUS exclusivē Mediator est. Unicus, inquam, quia cor-
cular ira divina לכוּר solus calcavit Esai. LXIII. 3. Ingens Papæo-
rum stupor est, verba hæc וְרַחֵם אֵין אִישׁ אִתּוֹ non vir mecum, Esai. I. c.
D expo-

exponentium: *virum quidem non adfuisse, affuisse tamen Mulierem.*
 Itã enim *Mariale edit. Argent. 1493. Verum est, Domine, quod non*
fuit VIR tecum, sed MULIER una tecum est, quæ omnia vulnera,
quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde. L. I. c. V. Referam im-
 piam expositionem ex recentissimo scripto Jesuitico: *Tota anima*
Maria erat in totò corpore Christi, & in qualibet parte; ergò quodli-
bet vulnus, cui libet parti corporis infligam, ipsa B. Virgo sustinebat in
totã animã. Juxtã hac expendenda sunt Bonaventuræ verba de com-
patione Virginis lect. I. ubi de Virgine Deipara hæc protulit verba
 piã audaciã: NB. Hæc MAJOREM dolorem habuit,
 quàm *Salvator, qui tot sustinuit.* Vide omninò ceteras im-
 pietates (*Mariam scil. Christi Commartyrem fuisse: valentio rem tor-*
rorem quàm crucem habuisse: dolores passionis Christum non itã vexã-
se, uti Mariam: Christum enim virum fuisse, ut proinde minùs quàm
Mulier dolorem senserit &c.) ibidem, nempe in *Theol. Marianã Je-*
suitæ Christophori à Vegã, Palestrã XVII. n. 1255. quæ Lugduni nu-
per 1653. prodit. Rideant interim vel pusiones Judæorum, sci-
 entes *אין אין* etiam feminas excludere. Vide *Devf. XXXIV. 6.*
Esaï. XLI. 28. & conf. Esaï. LXIII. ubi illud אין אין per:
non erat auxiliator; non fuit adjutor; salvavit me brachium meum,
 exponitur.

§. XLV.

Principum Q V O est utraqve natura *θεωδεωπια*: Arguo,
 (I.) *Juxtã quã naturam sceleris raptæ Deiformitatis purus est, juxtã*
illam raptum restituit. Atqui juxtã utramq, naturam sceleris raptæ
Deiformitatis purus est. Ergò. (II.) Quã naturã in Christo sola solven-
do non fuit, ea cum communione alterius solutionem præstitit. Atqui
sola humana in Christo natura solvendo non fuit. Ergò. Ideò enim
verbum caro factum est, quia caro nuda solutionem pro nobis præ-
stare non potest Psa. XLIX. 8. (III.) Actio officialis est θεωδεωπια.
Atqui solutio pro nobis à Christo facta, est actio officialis. Ergò. Hinc
Canon Conciliaris: In officio qualibet natura agit quod suum est, sed
cum communicatione alterius. Humana sanguinem fundit, divina
infinitum valorem affundit. Imò Christus Homo divinum sangui-
nem fudit 1. Joh. I. 7. & Deus PROPRIO SUO SANGVINE
 nos

nos redemit Act. XX. 28. Hoc qui cum Papp. & Calvinistis *Excommunicatoribus Idiomatum* negant, ipsam unionem personalem, finemque incarnationis penitus evertunt. Quod Doctores nostri sole meridiano clarius contra utrosque passim demonstrarunt,

§. XLVI.

*Statum Christi duplicem tantum, ταπεινώσεως scilicet ac υπαγε-
υψώσεως, cum Scripturâ Phil. II. 8. 9. admittimus, contra Enjedi-
num, qui distinctum DIGNITATIS Explic. LL. fol. 307. agnoscit,
ac Socinum, qui cum cæteris Christo etiam statum quasi DE-
GRADATIONIS (quod Collegium Anti-Socin. fol. 536. 541. &c.
deduxit) assignat.*

§. XLVII.

Si quæras, ad quem statum Solutio Christi pro nobis facta perti-
neat, respondebimus ad Exinanitionem, his argumentis: (I.) Quò
statu Christus pro nobis, ut spoli Deiformitatis reus ac debitor, à Deo so-
lutionem exigente tractatus fuit, eò etiam statu pro nobis solutionem
prestavit. Atqui in statu exinanitionis Christus pro nobis, ut spoli De-
formitatis reus ac debitor, à Deo solutionem exigente tractatus fuit. Ergò.
Minor ex 2. Cor. V. 21. Esai. LIII. 4. seqq. Phil. II. 7. 8. manifesta
est. (II.) Quò statu Chirographum nobis contrarium deleuit, eò etiam
statu pro nobis solvit. Sed Chirographum nobis contrarium deleuit in
statu exinanitionis (cum crucifigeretur Col. II. 14.) Ergò. (III) A-
ctus satisfactorius pertinet ad exinanitionis statum. Atqui solutio est
actus satisfactorius, quod jam probabitur. Ergò. Propositio certa
est. Sicut enim satisfactio & meritum per hoc differunt, quia illa
injuriam compensandam; hoc gratuitam mercedem acquirendam
respicit; ita actus exinanitionis satisfactorii & meritorii simul, actus
verò exaltationis meritorii solum sunt. Quare satisfactio ad solum
exinanitionis statum pertinet. Et tantum de SUBJECTO.

§. XLVIII.

Solutionis OBJECTUM est omne id, pro quò & cuius gra-
tia solutio per Christum facta est; quod in REALE ac PERSONA-
MALE rectè dispescitur.

§. XLIX.

REALE sunt omnes (a) CULPÆ ab omnibus hominibus REALE

D 2

con-

contractæ, & (b) omnes POENÆ temporales ac aeternæ, ab omnibus hominibus sufferendæ. Quod distinctè ostendemus.

§. L.

CULPÆ. Pro Culpis argumentamur (I.) Cui τὸ non-raptum in textu opponitur, id omne per τὸ raptum, pro quò Christus solvit, intelligitur. Atqui τὸ non-raptum à Christo omni omninò peccato opponitur, Ergò per τὸ raptum, pro quò Christus solvit, omne omninò peccatum intelligitur. Minor jam ex §. XXV. & XXVII. patuit. (II.) Omne id, quod Christus non rapuit, est id, quod Deo pro nobis restituit. At omne peccatum est id, quod Christus non rapuit. Vid. §. XXVI. Ergò. (III.) Succenturiamus classica Scripturarum dictâ: Omnium nostrum peccata Deus in Christum coniecit Esai. LIII. 6. Ergò pro omnibus peccatis nostris satisfecit. Unde Christus OMNIUM Hominum, μετὰ τὴν MAXIME fidelium, Salvator est 1. Tim. IV. 10. Pater dedit filium suum TOTI Mundo Joh. III. 16. Vide §. seq. LXI. & conf. 2. Petr. II. 1.

§. LI.

Manet ergò satisfecisse Christum non tantum pro originali (quod plurimi Papp. apud Gerh. T. I. Disp. fol. 127. seq. statuunt) sed & actualibus peccatis, non solum præteritis hominis convertendi (quod Salmero cum multis in Concil. Trid. voluit apud Dorsch. Mysar. Miss. fol. 317.) sed & futuris: mortalibus & (quæ vocant) venialibus peccatis. Hoc intuitu SUA PECCATA numerosiora capitulis suis Psal. XL. 13. vocavit. Blasphemia igitur Jesuitica est Huradi de Mendozâ scribentis: Christum non adæquatè extinxisse totum debitum ex peccato contractum, Disp. X. de Deo-Homine §. 6. fol. 64.

§. LII.

De peccato in spiritum S. an Christus pro illò etiam solverit, quæstio facillè solvitur ex §. L. Pro omni raptu solvit, vi textus nostri. Atqui peccatum in Spiritum S. est raptus. Ergò. Inquis (α) Non ultra pro peccatis est hostia Ebr. X. 26. Resp. Benè! Non ἐπὶ ULTRA, nimirum præter CHRISTUM, quia scil. hi peccatores eundem conculeant, & sanguinem Testamenti, per quem fuerant sanctificati, profanum habent vers. 29. Inquis (β) At non possunt agere poenitentiam Ebr. VI. 4. possent autem, si Christus pro se mortuus esset. Resp. ἀδύνατον illud non ex defectu satisfactionis, sed applicationis
tionis

tionis fluit. Vid. Ebr. VI. 6. & B. Meisn. *qvæst. vexat. III.* nec non
B. Fewerbornii & nostram *Dissert. de Peccat. in Spir. S* prolixè

§. LIII.

Pœnarum universalitatem probamus: *Cujus spoliū reatus Christi* P O E N Æ
sto imputatus est, ejus pœna etiam in plenariâ restitutione ac satisfactio-
ne ab ipso exacta est. Atqui omnis spoliū sive peccati, à singulis homi-
num commissi, reatus Christo imputatus est. Ergò etiam omnis spoliū
sive peccati, à singulis hominum commissi, pœnas sustinuit. Unde Psalm.
XL. 13. dixit: אֵין מַסַּפֵּר עֲוֹנוֹת עָלַי אַפְפֹּר עָלַי רַעוֹת עָרֵי אֶרֶץ מִסְפָּר circumdederunt
me mala innumerabilia. Christus enim spoliū reus fuit, Ps. LXIX.
51. 2. Corinth. V. 21. Ef. LIII. 6. ut pro raptoribus (qui solvendo non
erant Psal. XLIX. 8.) solveret ac satisfaceret. Satisfaciendum au-
tem erat activè, legem implendo, & passivè pœnaliter restituendo.
Hinc מוֹסֵר castigatio pacis nostræ sive pacificatoria & satisfactoria.
Esaï. LIII. 5. super ipsum מוֹסֵר debiti, secundum justitiæ commu-
tativæ rigorem, Devt. XI. 2. Jerem. II. 10. XXX. 14. Ezech. V. 15.
exactionem denotat. Dixerat primo raptorì Deiformitatis totius
orbis Judex: qvâ die comederis, morte (temporali ac aternâ) morie-
ris Gen. II. 17. Hanc pœnam itaq; in vade ac sponfore nostro, qui
pro nobis satisfacere debuit, exegit. Summa: dolore (pœnali) af-
fectus propter transgressioncs ac iniquitates nostras est Christus. Esaï.
LIII. 5. seq.

§. LIV.

Quare Christum pro nobis punitum non esse, immeritò negant
Sociniani, confutati à nobis in Collegii Anti-Socin. *Disp. LIV. fol.*
446. seqq. Pro nobis ipsa hæc Socini verba militant, fatentes: *in-*
Christum ideò iniquitatem omnium nostrum incurrisse, adeòq; ipsam
iniquitatis pœnam à Deo in Christum conjectam esse, scriptum est, quia
propter omnium nostrum iniquitatem ipse divexatus fuit, obq; eandem
iniquitatem ea pertulit, qvæ ut perferret, nunquàm commertus fue-
rat, quibusq; nos meritò plecti poteramus. Præle& Theol. c. XXI. fol.
137. seq.

§. LV.

Cæterum pœnas temporales pro nobis sustinuisse Christum, to-
ta passionis Historia, cujus compendium est Psalmus XXII. doce-
re potest. Nostri causâ obediens factus est Patri usq; ad mortem

crucis Philip. II. 8. vid. §. LXXV. De panis aternis gravior est
qvæstio.

§. LVI.

Nos breviter affirmativam probamus: (I.) *Qui panam spolio Deiformitatis dictam sustinuit, is etiam mortem aternam sustinuit. At qui Christus solvens id, quod non rumpit, panam spolio Deiformitatis dictam sustinuit. Ergò. Major ex Genes. II. 17. Rom. V. 16. 18. 21. Minor ex textu nostro §. LII. seq. Psal. XII. 5. 6. XXII. 1. Ef. LIII. 11. patet. (II.) Qui implendo totam legem, nosq; ab omni legis maledictione redimens, maledictum pro nobis factus est, & מוֹרְתֵי מוֹרְתֵי MOR- TES SUAS pro nobis sustinuit. Is etiam mortem temporalem & aternam sustinuit. At Christus hoc fecit. Galat. III. 13. Esai. LIII. 9. Ergò. (III.) Si Christus mortem aternam non sustinuit, pro nobis non ex asse satisfacit. At consequens est absurdum (ut textus docet.) Ergò & antecedens. Cætera vide apud Theologos passim. B. Gerhard, *Disp. III. de Glor. Dei. P. I. fol. 56. seqq. & Harmon. c. CLXXXII. fol. m. 1750. c. CCII. fol. m. 2015. Danhau. Hodosoph. fol. 715. alios.* Nos summa rerum h. l. fastigia secuti, sententiam etiam nostram ex Adversariorum ἀδυναμία confirmamus.*

§. LVII.

Mortem aternam doloresq; infernales Christum nequaquam pertulisse, unâ cum Socinianis, easdem tibus inflantes Pontificii inficiantur. *Væ nobis, si aternam mortem esset expertus, inquit Socinus Præl. c. XII. fol. 103. Confer Catech. Racov. cap. III. de Mort. Chr. Q. XVI. Smalz. de Satisf. c. Smiglec. c. VI. fol. 222. Völkel. V. R. L. V. c. XXII. Bellarm. L. IV. de animâ Christ. c. IIX. Maldonat. in Matth. XXVII. 46. Genebrard. in Psalm. XXII. 1. Janfen. Comment. in nostrum textum fol. 355.* Quorum sententia lubricis ratiunculis innixa facile evertitur.

§. LVIII.

(I.) *Si Christus, inquit, dolores infernales sustinuisset, etiam desperasset, quod est blasphemum asserere. Bellarm. l. c. & Socin. P. III. de Chr. Servat. c. IV. Resp. Negando consequentiam. Desperatio enim non est dolor divinitus impositus, sed accidentale vitium, in solis reprobis ex dolore resultans. Vel: desperatio non pars pœnæ, sed adjunctum patientis est. Reprobis est reus in se, super quem*

172

ira Dei manet Joh. III. ult. Christus fuit reus pro aliis, sic mortem gustare debens, ut absorberet 1. Corinth. XV. 5. Ebr. II. 9. coll. Job. IIX. 52. Vide Colleg. Anti-Socin. fol. 451. seq. (II.) Christus eternam mortem subire non potuit, quia post triduum liberatus fuit. Smalz. c. 1. Resp. Eternitas cruciatuum est accidens, tantum ex conditione subjecti finiti ac penitus reprobati, non ipsam mortis ac cruciatuum infernalium naturam per se manans. Sustinere potuit Christus, actuque sustinuit poenas infernales intensivè (quoad summos apices, vim, pondus ac substantiam) licet non sustinuerit extensivè, sive quoad extrinsecam durationis ac subiectorum patientium Accidentia, Verbò: Cruciatuum extremitatem, licet non eternitatem, reveram sustinuit. Habuit se Christus instar divitis, qui unam solutionem (Zug für Zug) in cruce Chirographum nobis adversum delere Col. II. 14. potuit. Cætera habes in Colleg. Anti-Socin. l. c.

§. LIX.

Hæc breviter de objecto reali. Succedit PERSONALE, quod OBJECTUM sunt (A) omnes omninò homines, etiam Maria & reprobi; non (B) PERSONALE. Angeli, non (C) Ipse Christus.

§. LX:

Omnes omninò homines esse probamus: Qui raptum ac spoli- HOMINES um commiserunt, pro iis Christus nil rapiens vi textus nostri solvit. singuli. Atque omnes omninò homines infantes, adulti, electi, reprobi, raptum ac spoli- um commiserunt. Ergò. Minor ex Rom. III. 23. V. 12. 14. 18. VI. ult. Joh. III. 6. 1. Cor. XV. 22. Gen. VI. 5. IIX. 21. Psal. XIV. 3. LIII. 4. Summa: אִישׁ אֶת אֶתְמוֹתָיו לֹא יִשְׁתַּחֲוֶה NON EST HOMO, QUI NON PECCET (spolium contra Deum non committat) 1. Reg. IIX. 46. 2. Paral. VI. 36. Eccles. VII. 20. Quæ loca classica urgenda sunt contra (α) Socin. qui cum Pelagianis peccatum originale negant. Vide Colleg. Anti-Socin. à fol. 285. ad 304. (β) Contra Papiſtas, Mariam à primò conceptionis momentò ab omni peccato inanem pronunciantes, quòd dignitas Matris id (ita enim inferunt) omninò requirat. Bellarm. IV. de amiff. grat. & stat. peccat. c. XV. quibus rectè contradicens Thomas: statuere, inquit, quòd fomes peccati in B. Virgine penitus ablati & extincti fuerit, videtur quidem pertinere ad dignitatem Matris: sed NB. REVERA derogat dignitati Christi. P. III. qv. XXVII. a. 3. Nos unicum

cum argumentum subjicimus: *Christus pro Mariâ solvit. Ergò Mariâ rapuit.* Probatur antecedens: *Cujus Christus Salvator fuit: pro eò etiam solvit. Atqui etiam Mariâ Salvator fuit.* Luc. I. 44. Ergò. Plura argumenta aliunde desumpta passim suppetunt. Vide omnino (ut nostros non allegem) Vincentium de Bandelis *de singulari puritate & prerogativa conceptionis Jesu Christi*, qui ex CCLX. Doctoribus Mariâ immaculatam conceptionem confutat. Impressus est liber Bononiæ 1481. quem possidet Bibliotheca Paulina. Sed non itâ pridem prelo iterum Basilea subjecit. Conf. *Dissertationem nostram de Conceptione B. Mariæ*, quam allatrare quidem, non confutare potuit, necquicquam à nobis laceffitus, nescio quis Lojolita Silesius, cujus, si pretium operæ fuerit, impetiginosum caput, & manus ad pugnam prurientes erit forsan qui inuaget. Si convitia rem conficiant, idem nobis in Monachos jus esse sciant, quod sibi in Evangelicos sumunt. Et prætereâ tantundem jure communi Imperii, & ex Pace Religionis, nobis licet ad defensionem August. Conf. quàm Jesuitis ad defensionem Sectæ Romanæ.

§. LXI.

Pro reprobis Christum etiam solvisse, speciatim ostendemus: Qui rapuerunt id, quod Christus non rapuit, pro eis Christus sibi imputatum raptum (vi textus nostri) persolvit. Atqui etiam reprobi rapuerunt id, quod Christus non rapuit (quod probatione non eget.) Ergò. Major clara est (I.) ex universali & indeterminatâ Christi locutione: QVOD NON RAPUI, SOLVI. Nostrum non est limitare aut restringere, quod Lex ipsa non restringit. (II.) Reproborum debitò credendi. Quod reprobi sub pœnâ æternæ damnationis credere tenentur, illud verum est. Atqui, quòd Christus pro ipsis solverit ac satisfecerit, reprobi sub pœnâ æternæ damnationis credere tenentur. Ergò illud verum est. Major à nemine piorum in dubium vocare potest, quia sequeretur Deum veracissimum ac justissimum maximam hominum partem æternis cruciatibus mancipare idèò, quòd mendacio credere noluerint, quod cogitatu horrendum est. Quid enim? an Deus prius reprobos mendacio credere vult, tum, quia mendacio isti non credunt, efficaciam erroris immittit, ut credant mendacio? Sic ergò & pœnam vult, & obedientiam vertit in pœnam inobedientiæ, & incredulos per efficaciam erroris credentes facit,

facit, & in obedientiam compensat efficaciam erroris ad obedientiam,
efficaciam, & ubiq; sibi ipsi adversatur? Vide omnino Acta Remonstran-
tium ad Articul. II. à fol. 297. ad 370. & quomodo argumentum hoc à
cavillis Contra-Remonstrantium à fol. 337. ad 346. liberarint. Mino-
rem Reformati modò allegati concedunt. Stat ergò conclusio, cui,
ne pronà consequentiã fluat, mirum est quã sudet, ut canalem,
obstruat Maresius *Epicris. de Grat. Part. εὐαγγελίου. Exercit. II. fol.*
416. seqq. contra Dallæum. Inter alia fol. 416. ait: *Syllogismum pecca-*
re informã, & conclusionem esse negatoriam, respondet tamen misã
formã (quod certè non decebat) ad materiam. Nos verò tam
acutum non cernimus, ut formã aliquod vitium deprehendamus:
Negat quidem Minorem fol. 417. sed contrã Scripturam. Arguo:
Qui damnantur propter eã quòd in Christum non crediderint, illi credere
in eum tenebantur. At qui reprobi damnantur propter eã quòd in
Christum non crediderint. Joh. III. 19. 36. Ergò. (III.) A Christi
datione: *Cui datus est Christus, pro eo solvit. At qui toti Mundo datus*
est. Joh. III. Ergò. Finge per Mundum solos credentes (i. e. Cal-
vini sensu, electos) intelligi, sensus erit: *Sic Deus dilexit credentes,*
ut qui ex credentibus credit, habeat vitam; qui verò ex credentibus non
credit, peccat. Ineptè, fatente Polanò. (IV.) Ab exochicã fidelium
mentionem. Christus enim Salvator OMNIUM hominum, *μάλιστα*
MAXIME fidelium est. 1. Tim. IV. 10. Aliàs ridicula, esset sen-
tentia: *Christus est Salvator omnium fidelium, maxime autem fide-*
lium. (V.) Difertã Scripturæ assertione, quòd etiam ii, quos Domi-
nus mercatus est, sibi celerem interitum 2. Pet. II. 1. accersant, &
peccatores in Spiritum Sanctum, prius sanguine Christi Ebr. X. 19.
sint sanctificati. (VI) *Anathema illi, qui dixerit, illum qui perit,*
non accepisse, ut salvus esse posset. Anathema illi qui dixerit, quòd
Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse
velit. Concil. Arelat. III.

§. LXII.

Pro Angelis verò Christus nequaquam solvit. Quamquam Non AN-
enim Satanas homines primos Gen. II. 13. cum toto terrarum or- GELI.
be Apoc. XII. 9. seducens, primus Deiformitatis raptor. 1. Joh. III.
8. existat: Christus tamen *hominum* (non Angelorum, qui nusquam
λαός dicuntur) *Salvator* Matth. I. 21. Dei ac *hominum* (tantum.)
E media-

mediator 1. Tim. II. 5. est: nec Angelos, sed semen *Abrabæ* assum-
psit Ebr. II. 16. Verbum *Caro* Joh. I. 14. non Angelus, factum est.
Τὸ γὰρ ἀπέσπληνον ἀθεράπευτον. Summa: *Angeli mali, qui peccave-*
runt, nunquam reconciliandi sunt: qui autem non peccaverunt, Me-
diatore non egent. *August.* in c. III. Galat. Cui locus Eph. I. 10. non
contrariatur. *Ἄνασθαλασίως* enim in cælo & terrâ, non Ange-
lorum & hominum *redemptionem*; sed utrorumque *sub unum caput*
reductionem (*Augustinus intelligit numeri Angelorum lapsorum per*
electos homines supplementum Enchir. c. LXI.) significat. Quod
contrâ Origenianos notandum, in quorum errorem prolixè dispu-
tat Aug. de C. D. L. XX. c. VII. IX. L. XXI. c. XXIII. & L. XXII. pas-
sim, in L. de Hæresibus c. XLIII. quærens: *quis Catholicus Christianus*
vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat hanc malorum &
demonum purgationem? Conf. etiam Fewrb. Κενοσχη. Sect. IV. cap.
II. §. XI. fol. 154. seqq.

§. LXIII.

NON NIL RAPUIT, nihil pro se ipso solvit, ac restituit. Atqui Christus
CHRIST9. NIHIL RAPUIT, per textum nostrum & §. XLII. Ergo. (β) *Dom-*
inus legis nihil DEBET legi. *Christus est Dominus legis* Matth. XII. 8.
Marc. II. 28. (γ) *Qui plenè pro omnibus hominibus solvit id, quod ipse*
etiam nō rapuit, ille nihil omninò et alium pro se ipso debere potuit. At-
qui Christus. Ergo. *Majorem concedit Socinus: Si, inquires, id eò eos*
liberasset, Christus, qui erant sub lege, quòd suscepisset præstandum id,
eui solvendo illi non erant: NB. OPUS fuisset, eum minimè subiectum es-
se legi, ut eam absolutè servans, pro aliis id, QVOD IPSE NON DE-
BEBAT, solvere posset. Nam quomodo pro aliis præstare quis potest,
quòd ipse facere tenetur? De Servat. Christo P. II. c. XXIV. fol. edit.
Lubbert. 288. Tom. v. II. Oper. fol. 180. Et Smalzius fatetur: *Chri-*
stum obedientiâ & passione suâ sibi ipsi nil propriè meruisse, Ref. Mon-
stror. fol. 114. Minor iterùm est textûs. Vid. omninò B. Fewrb. Fa-
scic. V. Disp. II. fol. 76. seqq. ad locum Gal. IV. 4. 5. ex quo argumen-
tamur (δ) *Qui factus (pro aliis) non natus (pro se) legi erat obnoxius,*
ille pro se solvere nil debuit. Atqui *Christus factus (pro aliis) non na-*
tus (pro se) legi erat obnoxius Gal. I. c. ubi γενόμενος ἐπένετον,
καὶ τὸν νόμον ὀππῶνται. Ergo. *Sicuti pro se & sui causâ non sub-*
sistit;

sistit; itâ pro se & sui causâ legi non subest. Qui propter se non est, propter se non operatur, adeòq; propter se legi non obligatur. Unde l. c. Gal. dicitur *subjectus legi factus*, ut (non se, sed homines) legi obnoxios redimeret. Verbò: (e) *Homo tantum merus persone finitæ, sui causâ & ordinariâ voluntate Dei creatrice existens legi subjectus est pro se. At Christus non est homo merus ac finitæ persone, nec humana ejus natura sui causâ & ordinariâ Dei voluntate creatrice, sed extraordinariâ, medicinali ac reparatrice, nostri causâ tantum producta existit. Ergò. Vide Anti-Socin. Colleg fol. 455. seq. Errant ergò gravissimè Calviniani, Sociniani & Novatores, qui Christum pro se Legi subjiciunt, quam sententiam propter divinam, in quâ caro subsistit, ἁπόθεν, Arrianam esse & divinitati Christi repugnare, probat B. Fewrb. l. c. f. 77. ubi videas.*

§. LXIV.

ACTUS satisfactorius est *Exinanitio*, quæ (α) *Deiformitatis* ACTUS, *retractione*, (β) *Formæ servilis assumptione*, & (γ) *obedientiâ vitæ ac Exinanitionis* absolvitur. De quibus distinctè.

§. LXV.

ACTUM satisfactorium esse *Exinanitionem*, probamus *ex opposito*. Adamus per affectatam ex arrogatâ Deiformitate, contrâ Deum, exaltationem raptum commisit. Ergò Christus raptum restitutus, competentis sibi Deiformitatis plenâ majesticate abstinens coram Deo sese exinanire debuit. Consequentiam firmat illud Apostoli Phil. II. 6. 7: *Cum esset in formâ Dei, non rapinam arbitratus est æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit. &c. Solutio enim & rapina in textu nostrò opponuntur: Quod non rapui, solvi. Ergò opponitur rapina ab Adamo commissa, & solutio à Christo præstita. Rapina verò commissa est per exaltationem indebitam. Ergò solutio præstita per exinanitionem (nostri causâ) debitam. Itâ v. g. Christus expiaturus affectatam scientiam ab Adamo, usum omniscientiæ retraxit, ut instar Angelorum ac hominum diem extremi judicii reverâ ignoraverit Marc. XIII. 32. Vide integrum opus B. Fewrbornii, quod *Κερωσιζαφία* inscripsit.*

§. LXVI.

Exinanitio illa non (N) consistit in *κρύψις*, quia illa (1) etiam in *Christum exaltatum* cadit: (2) *satisfactoria non est*, quia occultatio

tio coram Deo non est: adeoq; (3) vera exinanitio non est. Nec
 (2) in incarnatione. Exinanitio enim (1) non incarnatio Personæ
 συνήτης est: (2) Per exaltationem desit. At incarnatio permanet.
 Nec (3) in εἰσθνήσει & omnimodā majestatis divinæ quasi effusione &
 evacuatione (quod Beza & Piscatori placuit, qui reddit: hat sich
 aufgeleeret) quia (1) unio soluta fuisset, & (2) radios majestatis in
 exinanitione vibrare non potuisset. Christus igitur Marc. IX. 12.
 propter contemptum & quod *nibili quasi factus*, non propter Ma-
 jestatis effusionem ἐξεθνημένον & dicitur, uti λόγον ἐξεθνημένον
 2. Cor. X. 10. conf. 1. Cor. VI. 4. κένωσις non πληρώματα (quod
 semper in Christo habitavit Col. II. 9.) sed πληρώσει opponitur.
 Sed (7) in, a plena Majestatis universali ac incessante usu, abstinentiā:
 quod, ne prolixo sumus, evincit scopus Apostoli, qui nobis Christi
 non solūm *superbiam ostentationem donorum* prohibendo, sed etiam
 eorundem *humilem non usurpationem inculcando*, exemplum Phil.
 II. 3. seqq. proposuit, nullibi verò vel *occultam superbiam*, vel *ba-
 bitus virtuosi effusionem* præscripsit. Quid est, quærit Augusti-
 nus, non rapinam arbitratus est se æqualem Deo? NON USURPA-
 VIT æqualitatem Dei, sed ERAT in illā, in quā NATUS erat. Tract.
 XVII. in Joh.

§. LXVII.

Primus itaque exinanitionis satisfactoriæ actus est *Dei-
 formitatis*, si ita loqui fas est, *non-usurpatio*, sive *usus Majestatici*, quò
 minus per carnem exerceretur, *detentio*. Primus hic est naturā.
 Formam enim servi assumere non potuisset, nisi Majestatis usu car-
 nem suam abdicasset. De eò verò Apostolus: Cùm esset ἐν μορφῇ
 τοῦ θεοῦ, non arbitratus est rapinam τὸ εἶναι (scil. τὸ εἶναυτῶ) ἴσῶ
 θεῶ Phil. II. 6.

§. LXIIX.

Actus alter est ipsa *formæ servilis*, loco Deiformitatis, *assum-
 ptio*, juxta illud: semet ipsum exinanivit μορφὴν δούλου λαβὼν &c.
 Phil. II. 7. Quæ μορφῆς δούλου assumptio, est affectata per Adamum
 μορφῆς θεοῦ perfecta expiatio, sive debiti ex Deiformitatis raptu
 contracti solutio. Sicut autem Adamus non ipsam Dei naturam,
 sed *similitudinem Dei vel statum divinum* affectavit, non posset facere,
 quæ ipsa *Majestas facti* (vid. B. Luth. in c. III. Gen. fol. 196.) ita Chri-
 stus

stus hanc temeritatem expiaturus in humanitate suâ formam servi
sive statum & conditionem vilissimi hominis ἐν ὁμοιωματι ἀνθρώ-
πων γενόμενος καὶ ἡμῶν ἐυρεθεὶς ὡς ἀνθρώπος Phil. II. 7. assump-
psit. Errant enim illi, qui per *formam servi* assumptam *humanam*
Christi *naturam* cum Salmer. Cornel. à Lap. Estio in *Phil. II.* Jacob.
ad Portum *contra Ostorod. Inst. c. XX. fol. 169. seqq.* Polan. *Synagm.*
L. VI. c. XV. fol. 367. D. aliis intelligunt: Quâ sententiâ stante, *Chri-*
stus in statu exaltationis humanam naturam non amplius haberet, quia
formam servi deposuit. Errant iidem, qui μορφῆν τοῦ θεοῦ per divi-
nam naturam exponunt. Hac ratione enim *Christus in statu exina-*
nitionis Deus non fuisset.

§. LXIX.

Succedit in ordine *obedientia humilis*, quâ inobedientiam A-
dami expiavit Rom. V. 19. adeoque id quod non rapuit, persolvit.
Obedientia, inquam, cujus gratiâ sese, ut eam scilicet. præstare posset,
exinanivit. Phil. II. 8.

§. LXX.

Quantum verò (vid. Fewrb. *Κενοσιγῆ. Sect. III. c. IX. §. 8. &*
Fascic. III. Disp. V. §. 48.) Scriptura non *obedientias*, sed *unam obe-*
dientiam Christi in numero singulari Rom. V. 19. appellet: *objecto-*
rum tamen ratione, præsertim propter certamen Piscatorianum, in-
ter obedientiam *activam*, quæ vitam legi conformem, & *passivam*,
quæ poenas hominibus debitas, respiciat, commodè distingvi po-
test.

§. LXXI.

Obedientiâ activâ restituit raptum, SOLVENS, id, quod Lex à
nobis requirebat, dum legem implevit, factus scilicet legi obnoxius, ut
eos, qui sub lege erant, redimeret Gal. IV. 4. 5. Quod enim impossi-
bile erat legi, quatenus infirmabatur per carnem, ipse Deus præsti-
tit (vel *efficit ἐπέλεσε*, vel *simile* quid, deest enim verbum. Vox *ἀδύ-*
νατ cum verbo *κατέργει* propter interjectum *καὶ*, quod aliud
antè se verbum omninò requirit, construi non potest. Vid. *Erasm.*
Annot. Est. b. l. alios) per filium. Rom. IIX. 3.

§. LXXII.

Quod *obedientiâ activâ* pro nobis quicquam solverit, ut ea quod
nobis *ad justitiâ* imputetur, negavit A. 1593. M. Georg. Parsimonius,
Theologus Onoldinus Georg. Frid. Marchion. Brandeb. quem se-
cuti sunt Zachar. Ursinus, Caspar Olevianus & Job. Piscator Herbor-
nens.

nenf. & nostrò tempore Wendelinus Theol. Christ. Loc de Justific.
 Sed & *Socinus* l. citato in §. præced. LXIII. eandem sententiam fo-
 vet. De turbis, quas Piscator in Galliâ dedit, vide inter alia in E-
 pistolis Remonstrant. fol. 149. seqq. offendes Epistolam Synodi
 Vapincensis in Delphinatu, occasione hujus controversiæ potissi-
 mum collectæ, ad Piscatorem missam, cuius l. c. fol. 156. seqq. in er-
 rore quippe suo obfirmatus, satis acerbè respondit, quatuor atte-
 xens ratiunculas, quas B. Meisn. *Anthropol. Disput. XXIV. §. XCIV.*
seqq. B. Menzer. *T. I. Giffens. Diss. III. fol. 101. seqq.* cum aliis accura-
 tè resolvunt. Pro nostrâ autem sententiâ sufficiant in præsentî hac
 argumenta. (1) RAPTUS *Deiformitatis in se est CULPA, & secum*
ex justitiâ vindicativâ Dei trahit POENAM. Ergò Christus satisfactu-
rns pro culpâ & pœnâ debebat solvere. Pro pœnâ autem solvit obe-
 dientiâ passivâ. Ergò pro culpâ solvendum erat obedientiâ activâ.
 NB. *Quamvis Christus pro peccatis etiam nostris dicatur passus & mor-*
tuus, non tamen id aliter, quàm de REATU est intelligendum, inquit
 benè B. Meisn. l. c. §. LXXXIII. fol. m. 174. (2) *Tò ἀδύνατον* legis
 præstitit Deus per filium, ut *δικαίωμα* legis in nobis impleretur.
 Rom. IIX. 3. 4. *Atqui obedientia legis activa est ἀδύνατον legis.* Er-
 gò Deus præstitit eam per filium, ut *δικαίωμα* legis in nobis imple-
 retur. (3) *Christus factus est execratio legis PRO NOBIS,* qui era-
 mus execrabiles, quod NON FECERIMUS omnia in Lege præce-
 pta Gal. III. 13. coll. 10. Ergò FACIENDO implens Legem pro
 nobis, sive obedientiâ activâ, nos ab execratione Legis, l. c. vers. 13. re-
 demit. (4) *Christus est τέλος* perfectio legis ad justificationē omni
 credenti Rom. X. 4. Ergò obedientia activa, quâ legem implevit,
 ad justitiam omni credenti imputatur. (5) *Quâ ratione nos era-*
mus sub lege, eâ nos Christus, factus nostri causâ legi obnoxius, re-
demit. per Gal. IV. 4. 5. *Atqui nos eramus sub lege, non solum pœ-*
narum, sed etiam obedientiæ ratione. Ergò. (6) *Quomodo per in-*
obedienciam Adami constituti fuimus peccatores; itâ per opposi-
tam obedientiam Christi constituimur JUSTI Rom. V. 10. *Atqui*
per inobedienciam Adami, oppositam obedientiæ activæ, constituti
fuimus peccatores. Ergò per oppositam (inobedienciam Adami)
obedienciam activam Christi, constituimur JUSTI. Alia argumenta
 passim in Scripturis occurrunt. Ad *objectiones* verò *Piscatoris* fa-
 cile respondetur. Non (1) *ἡλικὸν θεῶν* subiectus legi: non Chri-
 stus

stus Ἰεσὺς Θεωπ. Vid. §. præced. LXIII. (2) *Obedientia activa*
ad culpam expiandam : passiva ad pœnam luendam requiritur. *Er-*
go non sequitur: si obedientia activa imputatur, frustra erat passiva.
(3) *In integritatis statu* lex ad *solam obedientiam* obligabat: in *lapsu*
verò etiam ad pœnam. Unde non sequitur : Si Christus pro nobis
suscepit pœnam, non opus fuit præstare obedientiam. Obligamur
enim ad *obedientiam jure creationis*: ad pœnam *ratione transgressionis*.
(4) Oblatio Christi Ebr. X. 14. U N I C A dicitur in oppositione ad
pluralitatem oblationum Leviticarum, non ad excludendam *obedi-*
entiam activam. &c.

§. LXXIII.

De *obedientia passiva* res est clara. Satisfecit Christus solven-
do λυτρον sanguinem suum 1. Petr. I. 18. seq. quæ solutio pertinet
ad *obedientiam passivam*, quâ obediens Patri fuit usq; ad mortem cru-
cis Phil. II. 8. quâ pro impiis & peccatoribus mortuus est Rom. V.
6. 8. conf. c. IV. ult. 1. Cor. XV. 3. &c. Oportebat enim Principem
salutis nostræ διὰ παθήματα perfici Ebr. II. 10. de quibus παθήματα
Spiritus Christi in Prophetis προμαρτυρήθη erat 1. Pet. I. 11.

§. LXXIV.

Sustinuit autem *passiones in corpore*, quod integra *Passionis*
ac *Mortis Historia* testari potest: licet eò temeritatis progredi no-
bis non sit fas, ut cum Papistarum nonnullis *numerum guttarum*
sanguinis ineamus. Sic enim Alanus de Rupe in *fin. de utilit. Psalter-*
rii Mariæ scribit: *Si quis XV. annis per singulos dies 100. Pater Noster*
& totidem Ave Mariæ dicat, quamlibet guttam sanguinis Christi per
unum Pater noster & Ave Mariæ ipsum salutare: Vide Epitom. Dio-
nyf. Carthuf. in Sacram. edit. Colon. 1532. in fine. Quod si verum
esset, *numerus guttarum effusi sanguinis* ad 547500. excurreret. Sed
quis istis calculatoribus revelavit? Johannem Evangelistam id fe-
cisse, Alani *l. c.* mendacium est.

§. LXXV.

De *Anima doloribus* qui dubitat, ille solùm ἀγωνίαν in horto Luc.
XXII. 38. seq. (ineptè & temerariè P. Hurtadus de Mendoza Christum præ
nimio gaudio, orto ex spectaculo corporum predestinatorum, quod ei exhibuerit
Angelus assumptis aëreis corporibus, sanguineum sudasse. Ex hoc, inquit, gau-
dio sanguis ebullivit & extrâ corpus erupit, more lactis calore rarefcentis in lebecæ.
Disp. de Deo-Hom. LXXV. Sect. III. Subsect. IV. §. 42. seq. fol. 525)
ἐξίλυπον ψυχὴν Matth. XXVI. 38 τὸ ἔκστασις καὶ ἀδημονεῖν
Marc. XIV. 33. מְרִירָה עֹבְדָתִי לִי אֱלֹהִים לִי אֱלֹהִים Psalm. XXII. 2, Matth. XXVII.

47. con-

47. consideret & in ipso sermone deficiet. Quis enim hominum satis intelligat ac eloquatur: quomodo ipse Deus à Deo fuerit desertus? Parum hoc confiderant, qui Christum, propter vocis tantum magnitudinem cum Origine: vel propter passionis solum veritatem cum Euthymio: vel ad offensionem tantum se esse eum, de quo in Psalmo XXII. David locutus est, cum Maldonato ac Sociis, clamasse existimant. Blasphemi verò sunt illi, qui Calvinum secuti Christo desperationem tribuere non erubescunt. Sed ne Maldonatus *Comm. in Matth. XXVII. fol. m. 659.* à blasphemiâ Socinianâ abest, dicens: Christo non fuisse necessarium tot poenas subire, quot martyres ejus causâ subierunt, quòd magnitudo poenæ, quæ antea cum, etiam fuisset, cum peccatorum nostrorum magnitudine conferri potuerit. Cæterum etiam illos Patrum hallucinatos esse, quòd Christum illa verba Psal. XXI. non suâ, sed nostrâ personâ protulisse, alibi demonstramus. Et si enim non sui sed nostrî causâ pateretur, reverâ tamen ipse passus & à Deo se derelictum congestus est. Huc etiam referimus passionem internam dolorum infernalium, de quâ jam supra §. LVI. seqq.

§. LXXVI.

SOLUTIONIS pro nobis factæ FRUCTUS, in positivo ac privato consistit. Castigatio enim PACIS NOSTRÆ super ipsum & libore ejus SANATI sumus Ef. LIII. §. ABSTULIT nimirum à nobis POENAS & CONTULIT VITAM æternam: exemit è statu iræ, & transtulit in statum gratiæ: nostram injustitiam in se recepit, suamq; vicissim justitiam nostram fecit: uno verbo pro POENA & CULPA nostrî causâ plenissimè satis fecit, quod in Collegio Anti-Socin. à Disp. LIII. ad LXII. (ne actum hic agamus) est evictum.

§. LXXVII.

Ex hæcenus autem disputatis satisfactionis rigorose (A) NECESSITAS (B) VERITAS (C) QUALITAS (D) & QUANTITAS haud difficulter potest intelligi.

§. LXXVIII.

NECESSITAS, Nisi enim pro nobis solvisset, æternum nobis pereundum fuisset. Nisi animam suam pro reatu posuisset, semen non vidisset Esai. LIII. 10. Et justissimus Judex, Deus offensus, eam exigebat. §. XXXVI. seqq.

§. LXXIX.

VERITAS. Quæ non rapui, inquit in Textu Salvator, SOLVI. De emphasi vocis הָשִׁיב vid. §. V.


§. LXXX.


QUALITAS. Est enim satisfactio (a) VICARIA, pro Raptoribus. Quæ ipse non rapuit, pro aliis, qui reverâ rapuerunt, solvit, vi Textus nostri. (b) NON-COACTA, à Redemptore scil. spontè præstita. §. VI. (c) EXACTA. Quicquid enim in universum erat raptum, illud plenè atq; ex asse fuit restitutum §. XXIII. seqq. Adeoq; (d) SUFFICIENS. Deus ipse solvit, Deus solventem, deleto Chirographo, ut itâ loqui liceat, quietavit, & ex Vinculis mortis dimisit. Col. II. 14. A. c. II. 24. conf. Rom. IV. 24.


§. LXXXI.


QUANTITAS. Est enim solutio PERSONARUM, DELICTORUM ac POENARUM ratione universalis per §. XLIX. seqq. Quæ hæc vice ex professu discutere non vacat. תְּלִית


F I N I S.












tere, et faciem macore confici Pfaltere profitetur. Quam
 antur infantes et eiulant, si mammis adfueti maternis, his
 tem carere deliciis cogantur! Quid si prorsus ab hoc victu
 moueantur ablactandi? Heu quam sunt impatientes huius
 n molestae, tenelli praecipue, qui immatura adhuc aetate,
 quod ablactationi conueniens est tempus, ab vberibus re-
 ternis, alienis parum adfueti cibis! Anxie suam deplorant
 quaque et eiulatu, quem sentiunt dolorem produnt, lacry-
 quaeritant, matris quo acquiescant finem, et mammarum
 r vbertatem. Idem sibi prorsus contingere fatetur Dau-
 imum in compescenda carnis libidine paulo saltem fuerit,
 remissior: *Si non sedavi animam, factus sum ablactato simi-*
a eiusmodi ablactatio, cum tantos iam pariat dolores;
 i, ex eo colligamus, aegritudine mentis affligantur et per-
 qui *consummata* ea, prorsus a Deo auulsos se sentiant,
 tia remotos. Fastidiunt delicias mundi, quas vel delibasse
 et, pudet, piget, taedet eos, quos suae mens conscia
 . Pertaesio omnium, quibus antea delectabantur volupta-
 tuare aegritudinem nihil depellere potest, animumque seda-
 , nisi Deo per Christum reconciliati, amissam eius recu-
 atiam. Hunc ergo lacrymis, suspiriis, gemitu, supplici-
 precibus, et fide apprehenso Christi sanguine, eo usque
 misericordiam, donec de sua certi iustificatione, ad gra-
 re finem, in eoque placide acquiescere lactentium more
 issimum itaque medium erit, acquirendae, conseruandae-
 randae, verae animi, firmaeque tranquillitatis, pariter atque
 externae, si in tali cum Deo perpetuo subsistamus vnio-
 tudine amica, quam cum matre sua habent γαλακτοτρο-
 , secundum illud Saluatoris nostri: Ἀμην λεγω υμιν, εαν
 ακ γενησθε ως τα παιδια, & μη εισελθητε εις την βασι-
 ων Matth. XVIII. 3.

autem lactentium more, ad eumque componenda Christia-
 logorum inprimis indole, copiosius disserendi locus erit
 rali, quam significare his volui paginis. Deo enim ita
 iustissimi Regis et Electoris nostri Patris Patriae Indul-
 genti **FRIDERICI AVGVSTI**
 ae Professoris Ordinarii munus mihi clementissime demandauit.

Quo



the scale towards document